INDEX RHETORICVS;

Scholis & institutioni tenerioris ætatis accommodatus.

SENEC. 64. Epist.

Etiamsi omnia à veteribus inuenta essent: hoc tamen semper nouum erit, vsus & inuentorum ab alijs scientia & dispositio.



LONDINI
Impressum, à Felice Kyngstonio
1625.

Ad Lectores.

VErnulam è famulitio Rhetorico Troposchematologum ante annos quindecim manu emiseram. Rudi quidem illum versu cónditum, inconcinnum, fateor, & incomptum. Sed in quem postquam publicum indeptus obtinuerat, iamque in precio esse & lucelli aliquantulum spondere cœperat, involauit plagiarius quidam Bibliopola, eumque, sub nullius nomine aut patrocinio errantem, in seruitutem asseruit, suæq; adscripsit familiæ, non cessurus ipsi patrono peculium suum in libertatem secundum vindicias postulanti. Cuius editionem vt anteuerterem, & frustratui haberem, videbam mihi properandum. Consilium itaque tanquam gladiator in arenâ cepi, & temerè vel sic non pauca immutaui, alia quædam eiusdem generis adieci, quæ olim à me congesta recensui, ex patribus maiorum minorúmque in hac arte gentium, Aristotele, Hermogene, Sopatro, Dionysio Halicarnassensi, Demetrio Phalereo, Menandro, Aristide, Apsine, Longino, Theone, Aphthonio, aliisque * Rhetoribus & Sophistis Græcis, tum Cicerone inprimis & Fabio Quintiliano, necnon Martiano Capellâ, Curio Fortunatiano, Mario Victorino, Sulp. Victore, Emporio, Aur. Augustino, Ruffino, G. Trapezuntio, P. Ramo, L. Viue, Cypriano Soare, Iul. Cæs. Scaligero, Sturmio, Strebæo, Keckermanno, Alstedio N. Caussino, I. Ger. Vossio, Andrea Valladero, aliisq; innumeris. A quorum institutionibus sicubi recesserit hoc compendium, si in genere Iudiciali, Inuentione,

* Quorum plerosque vtendos accepi, accep tos refero prolixæ benignitati atque instructissimis Musæis CC. VV. Doctoris Lindseli & D. I. Seldeni: quorum vterque est (quod de Dionysio Longino dixit Eunapius) βιβλιοθηκη τις ἐμψυχος, καὶ περιπατουσα μουσειον.

Dispositione parcior visus fuero pressiorq; ; scient iuxta mecum eruditi, non sine causſa & ratione id factum, immutari quippe Oratoriæ scenam, in alio nos foro litigare, exoleuisſe causſas forenses, quibus olim studebant & præparabantur iuuenes: Demonstratiuas & Suasorias delegari pueris, quibus instituendis hæc qualiacunque præcepta sunt accommodata. Proinde iis elaborandum diligentiùs in Elocutione & eius partibus, propterea quòd inuenire & collocare sententias, proprium sit ingenij magis & prudentiæ quàm artis. Si ergo in præceptis de verborum delectu habendo, compositione, periodo, ornatu, stylo formando, acuendo, exercendo, fusior, prolixiórque fuerim, agnoscent consilium meum viri diserti, cui expediendo, si haudquaquam par cesſerit facultas, ignoscent candidi. Nam quod ogganniunt Lucumones inepti, inquientes: Quid loqueris nobis de præceptis artis & stylo? Nos non curamus vt puer consumat tam multum laborem & tempus, discere Linguam bestiæ, neque legere profanos autores & poëtas qui fuerunt destructio multorum hominum. Erit sufficienter aptus ire ad Vniuersitatem, si potest mediocriter intelligere Latinè, & loqui congruè: *securus vnicè nil moror quid dicant, quid sentiant (dicunt tamen vt plurimùm contrà quam sentiunt, vltra quàm intelligunt) maleuoliisti ignarures, buccones maledici, qui inertiæ suæ velum sanctimoniæ obtendentes, autoritatis suæ, si Dijs placet, fascibus scientiarum turbam summouent, artes omnes tanquam profanas, atque simplici, quam profitentur, sinceritati officientes, à sacris suis arcent. Et quia vulpibus hisce caudam, fugæ clauum, corporis ornamentum decurtauerit propriæ stupiditatis, inopiæ, aut prauitatis laqueus: cæteris etiam persuasſum*

sum eunt, oneri hanc esse ijs & impedimento. Verùm enimuero ita demum rem suam sartam tectam volunt, si quod ex pelle Theologicâ desit, è cauda Pædagogicâ assuant. Memini, me puero multis adeo per transitorium hoc docendi forum patuisse iter ad sacra illa penetralia. Iam verò, inuerso rerum ordine & in Mandrabuli, quod dicitur, morem, præposteri & retrogradi cedunt. Namque vbi iam in Academia plus satis morati fuerint, ibíque annorum potius progressu, quàm animorum profectu stadia & spatia confecerint Milones isti, fidēq; fecerint prouerbio; Posse eum ferre bouem qui vitulum tulerit: *Inde iam vel furcillis eiecti, vel nauseantis quasi matris vomitu exputi, mox etiam & Ecclesiæ futuri propudia & reijcula, Sacris se sacramento obligant; quibus tamen se postmodo indignos, impares, & ineptos fatentur. Siue enim infirmitatis suæ deterriti conscientiâ; siue exhaustâ quam aliunde vtendam sumpserant supellectile; siue quod ijs ex animi sui sententiâ non cedat promotio, at amplioris alibi fulgeat lucelli spes: stiuæ sacræ, cui manum admouerant, renunciant, & post terga respiciunt. Quorum alij tanquam* ἀμφίβια *terrâ & aquâ alternis victitant, culeo sanè digni puericídæ, qui diuidunt operas, quarum alterutra totum poscit hominem: alij prorsus deficiunt ab equis, vt aiunt,---Dionysij, qui se impares regendis viris experti transferunt ad imperium puerorum. Sed & iustum videri laborat defectum, caussásque irreligiosæ religioni inuenit eorum* ὑπόκρισις. *Dij melius, quàm vt illa sit hæc Rhetorica Actio! Non est. Imò nec Contemplatio quidem: sed Factio & mera Dissimulatio: quâ se insinuant mulierculis, quibus se viros approbant, & cerdonibus, quibus cœperunt esse in precio & ve-*

 rendi

rendi: deinde libidine quadam natiuâ, & suâ, calumniandi, iacto hoc fundamento artis pessimæ, quam solam callent optimè; Ne cuius famæ parcant; fore enim vt, quamuis consolidetur vulnus, maneat cicatrix; *nullius sibi meriti aut virtutis conscij, ex censurâ quam sibi assumunt homines moribus improbi, studiorum rudes, literarum profani, expertes artium nisi sordidarum, audent de rerum summâ, & in quâ ipse felicitatis articulus & rectè viuendi cardo vertitur, iuuentutis nimirum educatione decernere & præscribere. Iamq; in viros literatos, qui, dum publicum in priuato agunt, de re publicâ & literariâ merentur optimè, scholarum moderatores, clandestinæ calumniæ tragulam adornant, eorúmque famam depeculatum eunt. Hunc tumidum nuncupant Pœdantium, proteruâ insolentem adolescẽtiâ, neq; eum cuius grauitas ferociores à licentiâ deterreat; illum annis prouectiorem & locupletiorem, quàm qui laborem hunc ferre possit, aut etiam velit. Hunc supercilio tristi seuerum causantur, vultu tetrico austerum esse suis terrori & odio; illum dissolutâ comitate futurum discentibus contemptui & exemplo malo: hunc ixsimulant eruditionis parum probatæ; illum religionis suspectæ. Deinde vbi vident graphici isti Sycophantæ se clancularijs susurris detraxisse aliquid de aliorum famâ; veneno huic aliquid de suo latice admiscent: operam pollicentur suam festiui & meraco scientiæ iuxta atque sanctitatis incocti succo, artem venditant suam. Heu docentium impia, discentium misera conditio! vbi, dum fouentur custodes isti à doctrinâ simul & pietate alieni;* Et succus pecori, & lac subducitur agnis.

Sed modus sit. Neque enim è dignitate Artis aut

Eloquentia

Eloquentiæ est, iram vtcunque iustam distringere in pecudes inertes, animalia spurca, sacerrima capita: quorum nequitiâ tamen nihil iniquius, quorum imperitiâ nihil impudentius, quorum ignorantiâ nihil arrogantius. Neque si falsarios istos duces, hæreseos suæ conuictos, in gyrum doctrinæ ducere posset recta Ratio, velit tamen rude vulgus supra se sapere et iniuriæ suæ litare: quin malit sibi os oblini et naso suspensos instar vrsorum trahi, quàm auribus duci ad saniorem mentem ab Herculis Ogmij catenâ. Decipiant ergo illi, desipiant hi cum veniâ. Vos autem, si sapitis, imò vt sapiatis, Mercurialem admittite Iudicem, qui vobis primùm quidem vna Synopsi & quasi per compendij transennam copias & opes Oratoriæ commonstret, deinde Partitiones Oratorias elucidet, mox digitum ad ipsos fontes intendat. E quibus plenos sumite haustus; vt, seu Iurisprudentiæ foro, seu Theologiæ choro præparamini, Suadelæ virtute ac viribus instincti, relinquatis in audientium animis aculeum; Hermetis instructi caducéo pectora mulceatis, animos regatis, doceatis, seruetis. Quod vt fiat, transibunt præcepta in vota: Vt benigno vobis dextróque numine adsit Deus; Suadam, Gratiámque inspiret suam; vósque, quos esse iussit Oratores, faciat.

THO. FARNABY.

INDEX RHETORICVS.

Rhetorica est facultas de vnaquaq; re dicendi bene, & ad persuadendum accõmodatè

Cuius

1. Officium est
- Delectare
- Docere
- Concitare

ad
- conciliationem
- fidem
- mouẽdos affectus

gratiâ
- suauitatis,
- necessitatis,
- victoriæ:

vbi requiritur orationis
- lenitas.
- acumen.
- vis.

2. Materia est, quæcunque res sub disceptationem cadit, potéstque persuaderi. Quæ & Quæstio dicitur; éstque

- Simplex; vnius scilicet thematis: vt, de *Virtute, coniugio, bello, pace.*
- vel Coniuncta; Pronunciati alicuius, quod argumentis probatur: eáque
  - Infinita, Thesis: quæ vniuersaliter quærit; vt *An ducenda sit vxor.*
  - Finita, Hypothesis: quæ vniuersalem restringit ad circumstantias; vt *Sítne Philosopho, seni, indotata, extera vxor ducenda.*

Atque Finita hæc quęstio est materia oratoris maximè propria. Verùm examinandi, explicandi, ornandique caussâ, hanc orator subinde reuocat à Finitâ, circumstantijs suis exutâ, ad Infinitam: vt & in Practicâ & Ciuili quæstione excurrit aliquando ad Theoreticam.

Hypothesẽ onceu Finitarum Quæstionum tria sunt genera:

- Demonstratiuum, quod in laude aut vituperio versatur. — quorum proposita sunt: Honestas, Turpitudo. — Delectatio, aut detestatio.
- Deliberatiuũ, quod in futuri temporis prouisione suadet aut dissuadet. — quorum proposita sunt: Vtilitas, Inutilitas. — Finis: Spes aut Metus.
- Iudiciale, quod in præteriti disceptatione accusat vel defendit. — quorum proposita sunt: Æquitas. — Clementia vel sęuitia.

3. Media

- à Naturâ, eáque
  - Corporis, Vox sonora, distincta, suauis; latera firma; Oris totiúsque corporis venustas & spectabilitas.
  - Animi,
    - Ingenium, ad excogitandum acutum & sagax, ad explicandum facile, ad studia incitatum & docile, firmum atque diuturnum ad memoriam, quæ à Natura & Exercitatione potiùs est quàm ab Arte. Iudicium solidum & Discretio.
- ab Arte, quæ tradit præcepta
  - Inuentionis, quæ excogitat argumẽta ad persuadendum idonea.
  - Dispositionis, quæ res inuentas discernit, aptéque per partes distribuit.
  - Elocutionis, quæ res inuentas dispositásque exornat flore verborum & lumine sententiarum.
  - Pronunciationis, quæ cum vocis aptâ modulatione & corporis gestu orationem profert.
- ab Exercitatione, quæ assiduitate Legendi, Commentandi, Scribendi, Variandi, Imitandi, & Dicendi, Naturam Artémque perficit.

Inuentio.

Inuentio.

Inuentio est excogitatio argumentorum, quæ ad persuadendum sunt idonea. Argumentum est probabile inuentum ad fidem faciendam.

- **Argumenta sunt.**
  - Ἔντεχνα Artificialia
    - Ad Fidem, ex locis docẽtibus λόγους
      - Certis, vnde fiunt Demonstrationes.
      - Ratiocinantibus à Causſis, efficiente, materiali, formali & finali, ab Effectis, Subiectis, Adiunctis, Definitione, Diuisione; Genere, Specie, Toto, Partibus, Comparatis, Paribus & Similibus, Oppositis, relatis, contrarijs, priuantibus & contradicentibus, &c. quorum disciplina petenda à Dialecticis.
      - Probabilibus, & Verisimilibus.
    - Ad Motum, ex locis Patheticis quę versantur in
      - Excitandis vel sedandis affectibus; Amore, odio, irâ, contemptu, lenitate, metu, pudore, gratiâ, misericordiâ, indignatione, inuidiâ, æmulatione.
      - Summi erit artificis, nosse; qui, & erga quos, & quibus de causſis hoc vel illo affectu soleant homines commoueri.
    - Ad Conciliationem, ex Moribus
      - Oratoris: in quo requiruntur, Prudentia, Probitas, Beneuolentia, Modestia.
      - Ciuitatis in qua degit. Respiciat ergo in
        - Republicâ, libertatem.
        - Democratiâ legum disciplinam.
        - Aristocratiâ, diuitias.
        - Monarchiâ, custodiã Principis.
    - Auditorum qui differunt
      - Affectibus; irâ, lenitate, misericordiâ, lætitiâ, spe, dolore, metu, odio, æmulatione, &c.
      - Habitibus; virtutibus & vitijs.
      - Ætate; iuuentute, senectute.
      - Fortunâ: quâ nobiles, potentes, diuites, fortunati, &c.
  - Ἄτεχνα Inartificialia. Quæ non parit ars Oratoris, sed aliunde ad se delata tractat: cuiusmodi sunt Testimonia Diuina & Humana: atque hæc, vetera ex Autoribus, aut noua, ore tenus, iusiuranda, aliáque Instrumenta forensia, Leges, Pacta, Testes, Tabulæ, vt & Signa, Circumstantiæ, Exempla, &c.
  - Trium generum communes loci sunt
    - Possibile, & Impossibile, vt doceatur potuisse, aut non potuisse fieri.
    - Magnum & Paruum, vt ostẽdatur Comparatiuè, aliud alio esse vtilius, honestius, &c.

Fidem tantùm facere, præ se ferendum est: Conciliatio & Motus in Exordio quidem & Peroratione proprium habent locum, sed in perpetuâ oratione, sicut sanguis in corpore, fusa esse debent.

De

De Genere Demonſtratiuo.

Laudantur: aut à contrarijs vituperantur

Perſonæ,

- à perſonę locis & circūſtantijs; 1. Admirabilibus, quæ diuinitùs miſſa, prodigijs, augurijs ſeu oraculis ſignificata præceſſerunt. 2. Patriâ. 3. Genere ceu Natalibus. 4. Sexu. 5. Singularum ætatis partium inſtitutione, educatione, diſciplinâ, ſtudijs, conſilijs, rebus geſtis. 6. Morte & euentis poſt mortem, iacturâ & luctu.
- à tribus generibus bonorum
  - Fortunæ: vt ſunt, opes, honores, amici, affines, liberi.
  - Corporis: qualia ſunt, forma, robur, valetudo, agilitas, corporis habitus.
  - Animi. ſuntq; bona
    - Inſita; indoles, ingenium, iudicium, induſtria, docilitas, memoria.
    - Acquiſita: virtutes
      - Moris: Iuſtitia, Temperātia,
      - Mentis: Prudentia, Fortitudo.

Atque in his explicandis ſequendum aut ætatis atque rerum geſtarum ordinem; aut virtutum diſtributionem & certa rerum capita. Hic Artificialis, ille Naturalis ordo dicitur.

Virtus ſola per ſe ipſa laudabilis eſt, ſine qua nihil rectè laudari poteſt: Auditu verò iucundiora ſunt, quæ alijs fructuoſa, ſibi laborioſa, aut certè gratuita. Naturæ & Fortunæ bona tractantur, quòd in eorū vſu ac moderatione virtus maximè cernitur, prout quis ijs rectè vel malè vſus ſit: ſi nō habuerit, ſapienter caruiſſe: ſi amiſerit, moderatè tuliſſe.

Cautio eſt, ne ementitas laudes adſciſcamus; neq; ijs quę multis competunt, aut rerū leuiorū laudationibus immoremur.

Facta
- Ab Honeſto, qui proprius eſt Demonſtratiui generis locus, continétq; Decorum, Legitimū, i. æquum in homines, pium in Deos, Iuſtum & Glorioſum. ab Vtili, Difficili, & cæteris Deliberatiui generis locis. quos vide ſuo loco.
- A Circumſtantijs, Perſona, Re, Cauſa, Tempore, Loco, Modo. vnde Amplificationi præbeatur anſa; quòd quis primus fecerit, aut ſolus, aut cum paucis, aut præcipuè, aut tempore maximè neceſſario, aut ſæpè, &c.

Res, vt loca & animi habitus
- A cauſſa efficiente, & Definitione; ab antiquitate, origine, honeſtate; à ſingularibus cuiuſque rei aut loci virtutibus, ſitu, amœnitate, vtilitate, voluptate.

Et Comparatiuè inter ſe tractantur Perſonæ, Facta, Res, idq; vel
- Collatione ſimilium.
- Cōtentione diſſimiliū.

Hæc

Arist.Rh.l.1. c 9. Aut.ad Heren.2.l. Cic.de Inuent.2.l. Cic. Partitiones. Quin.3.l.9.c. Menand.Rh. γνωθλίων διαίρεσις τῶν ἐπιδεικτικῶν. M.Capella 5.l. Theon. & Aphthonius. Emporius Rh. Hiperius c.2. Soarez l.1.c.42.Voss. 1.l. 1.c. Alst. Or.l.4.c.6. Causs.l.10. qui & exempla adijcit,vt & Dresserus & Vossius.

Hæc oratio ad populum habita, ad animi motus,non ad fidem faciendam accommodata, expositionem factorum, non argumentationem requirit. Estque illustranda verbis insignibus,translatis, floridioribus : nec non luculentis per διατύπωσιν expressionibus,digressionibus,amplificationibus.

Amplificantur Res & Facta. 1. Ascendendo ab Hypothesi ad Thesin: vel Contrà, 2. Indiuiduorum exemplis illustrando,quod generatim dictum est. 3.Circumloquendo. per definitiones aut descriptiones, eásque conglobando. 4. Vsurpando species aut partes pro toto. 5. Adiiciendo caussas,effecta & accidentia. 6. Comparando à simili aut dissimili ; pari aut impari. 7. Ab oppositarum & inter se pugnantium rerum conflictione. 8. A testimonijs stipatis condensatísque. Vide Amplific. infrà in Confirmatione.

* *De Genere Deliberatiuo.*

Deliberantur, id est, suadentur aut dissuadentur res quælibet contingentes,& positæ in nostrâ potestate: Publicæ verò, Pecuniæ seu vectigalia, Pax & Bellum, regionum Præsidia, Quæ exportantur aut importantur, Leges, in deliberationem veniebant.

* Arist.Rh l.1. c.4 Autor.ad Heren.2.l. Cic.de Inuent.2.l.de Oratore.2.l. Quint l.3 c. 10 Emporius Rh. M.Capella 5 l. Soarez l.1. c.50. Dress. l 1. p 216. Hier.c.3.p. 333.Voss.1.l. 5.c. Alst.Or. l.4 c.6. Causs.l.12. c.1.

Loci sunt

- Honestum : de quo suprà in genere Demonstratiuo.
- Vtile:ex laude natum semperque cum dignitate coniunctum, consistit in conseruatione præsentium & comparatione sequentium commodorum : atque in eorum quæ his contraria sunt, euitatione. Atque hic locus Deliberatiui proprius est.
- Necessarium; quod aliter fieri non potest.
- Iucundum : quod delectationem voluptatémque animi aut corporis,aut vtriusque adfert.
- Euentus : cuius profectio & consideratio tractatur Dilemmate.
- Facile : quod comprehenditur sub Possibili,generali omnium caussarum Loco.
- Dialectici: à proprio adiuncto,ab effectis,ab antecedentibus,connexis,consequẽtibus, Comparatione à Maiori,minori,contrario;à testimonio. Maximè autem hîc dominantur, & quasi familiam ducunt atque vtranque faciunt paginam Exempla , si apposita sint,neque ex ijs solis constet oratio.

De

* De Genere Iudiciali.

Accusator reũ arguat facti quod in controuersia positũ est.

Depellat defensor, opponâtque aut
- 1. Non esse factum.
- 2. Si factum fateatur, non eam vim, non id nomen habere, non id esse quod criminetur.
- 3. Iure id esse factum.

Ex accusatoris autem intentione & defensoris depulsione nascitur Status
- 1. *Coniecturalis.*
- 2. *Finitiuus.*
- 3. *Qualitatis ceu Iuridicialis.*

*Aut. ad Heren. 2. l. Cic. de Inuent. 2. l. de Oratore. Quintil. l. 3. c. 11. Capella. l. 5. Gross. l. 4. c. 1. Kecker. l. 1. Sp. Rh. c. 9. Vossius l. 1. c. 6. Caussin. 12. l. 13. c.

Reperto Statu, subijciat Reus Rationem, quam depellendi causâ adfert.

Accusator contrà adferat firmamentum, quo Rationem illam infirmet.

Ex Rationis autem & firmamenti conflictatione Iudicatio constituitur in Finitiuo & Qualitatis statu.

*1. Status *Coniecturalis*, in quo quęstio est, *Anres facta sit, necne*

Arguat accusator à
- Causâ
  - Impulsiuâ: irâ, odio, auaritiâ, inuidiâ, inimicitijs, alijsque affectionibus. Atque hîc persona cum suis circumstantiis diligenter excutiatur.
  - Ratiocinante; à
    - Spe bonorum, præmij, voluptatis, honoris, &c.
    - Euitatione malorum; incommodi, infamiæ, &c.
- Facultate; in occasionibus, spe perficiendi, celandi, impunitatis; circumstantijs rei, loco, tempore; nec noncircumstantijs personæ, de quibus suprà in Demonstratiuo genere.
- Signis; quæ sunt dicta aut facta antecedentia: consequentia, vel cum ipsa re cohærentia: quæ nocentes comitari ferè solent, quasi indicia & impressa facti vestigia.

Defensor
- Infirmet Causas & Facultates.
- Diluat & refellat Signa & consequentia Absolutione vel Inuersione.

*Cyrus περὶ διαφορᾶς στάσεως Hermogenes περὶ τῆς στάσεως. Aut. ad Heren. Quintil. 3. l. c. 6. M. Capella 5. l. Fortunatianus l. 1. Sulpic. Vict. Alcuinus. Cassiodorus. Soarez l. 2. 11. c. Alsted. Or. 4. l. 7. c. Voss. l. 1. c. 6. Caussin. l. 2. c. 30. Valaderus l. 7. disp. 2.

2. Status *Finitiuus*, in quo quæstio est de nomine rei, & quid sit.

Definiat

Definiat vterque, quàm maximè poteſt, ad communem ſenſum ac vim verbi: deinde adductis ſimilibus exemplíſque aliorum qui ita locuti ſunt, ſuam definitionem ſententiámque confirmet, & contrariam infirmet.

Accuſatori locus eſt: Minimè concedendum, vt is, qui de re confitetur, verbi ſe interpretatione tueatur.

Defenſor æquitate nitatur: & ea cùm ſecum faciat, non re ſed verbi deprauatione ſe vrgeri queratur. Quo in genere vtetur Similibus, Contrarijs, Conſequentibus.

3. Status *Qualitatis* ſeu *Iuridicialis*, eſt vel
- Rationalis, de iure facti. (b.)
- Legalis, de ſententiâ legis aut ſcripti. (c)

(b) Defendat Reus
- Abſolutè: cùm ſimpliciter, quod factum eſt, rectè factum eſſe defendimus: iure ſcilicet Naturæ, legis, conſuetudinis, iudicati, æqui, pacti.
- Aſſumptiuè
  - Comparatione: cùm alterutrum neceſſe fuerit fieri: hoc ſatiùs.
  - Relatione: cùm culpa transfertur in ipſum qui malum accepit.
  - Remotione: cùm culpa reijcitur in rem aliam, legem vel perſonam.
  - Conceſſione: cùm non defendit factum, ſed ignoſci ſibi poſtulat
    - Purgatione; qua excuſat factum eſſe non voluntate, ſed Neceſſitate, Fortunâ, vel Imprudentiâ.
    - Deprecatione; à meritis & ſpe futurâ.

(c) Legitimi ſpecies ſunt
- Leges contrariæ: cùm lex eadem ſecum, vel duæ leges inter ſe videntur pugnare.
- Scriptum & ſententia: cùm ſcriptoris voluntas à ſcripto videtur diſſidere.
- Ratiocinatio: cùm quod nulla propriâ lege cautum eſt, ex alijs conijcitur.
- Ambiguum: cùm ſcriptum plures accipit ſententias, dubij accentus, aut vocis diuiſæ iunctæue ratione.
- Tranſlatio: cùm reus accuſatorem, iudicem, tempus, locum mutandos dicit.

Atque

Atque hactenus quidem de tribus generibus vniuersè & in genere. habent tamen sibi subiectas alias species, quæ particularem considerationem & disciplinam desiderant.

Panegyrica vetus. In qua laudatur qui ludo præest. 2. Gens vel vrbs. 3. Certamina & ludi cum ortu eorum, comparatione cum alijs, loci & temporis ratione. 4. Præmia. 5. Princeps certaminum præses. 6. Voto denique clauditur.

Panegyrica noua, exorsa ab occasione quæ nos ad dicendum mouit, progreditur ad Principis laudationem ex locis Demonstr. ad publicæ felicitatis prædicationē, clauditur voto & exhortatione ad lætitiam, obsequiū & concordiam.

Nuptialem, vt & Epithalamium auspicamur a Dijs Genialibus, naturæ & legum instituto; coniugij mox enumerantur commoda, priuata, publica: laudatio sequitur sponsi, & sponsæ: concipiuntur vota vtriusque nomine, vt feliciter cedant nuptiæ mutuo amore constantíque iunctis; vt videant liberos, nepotes & qui nascentur ab illis. super quibus etiam omen, præsagium & votum.

In Natalitiâ, siue quis sit prole recèns auctus, siue prouectus ætate mactetur oratione anniuersariâ, respicitur tēpus natiuitatis, annus, mensis, dies, hora: locus; virtus parentum; familia. Subsequitur spes, gratulatio, precatio & votum.

Funebris orditur a querimonia, exclamatione, aut interrogatione. ratio deinde personæ ad quam dolor peruenit, habetur. laus defuncti ex locis Demonst. generis, mortis genus; desiderium, cuius testes dolor & luctus. his subijcitur consolatio.

Gratiarum actio beneficium acceptum læta agnoscit, amplitudinem & commoditatem eius prædicat atque amplificat: spondet vicem referendi parem gratiam: aut id si minùs suppetat, animi grati memorísque officium: adeóque ad vota confugit.

Propemptica, Apopemptica, Hodœporica, Monitoria, Suasoria, Adhortatoria, Consolatoria, Consultatoria, Petitoria, &c. carmine frequentiùs & epistolis quàm Orationibus celebrantur. Eorum itaque præcepta cum exemplis expressis aut citatis videbit qui volet, apud Menandrum Rhet. Dionysium Halicarness. Erasmum, libello vtilissimo de conscribendis Epistolis; Iulium Cæs. Scaligerum

Vide Dionys. Halicarnessensis τεχνὴν περὶ τῶν πανηγυρικῶν. Menandri Rhetoris γενεθλίων διαίρεσιν τῶν ἐπιδεικτικῶν. I. Cæs. Scalig. 3. l. poet. 100. c. N. Causs. in 10. l. 9. c. & I. Ger. Vossiū l. 2. Institution. Or. c. 13. & l. 2. Partitionum. c. 17.

rum 3. l. Poetices c. 103. & 104. I. Lipsium. de re Epistolica. Bar. Keckerman. l. 1. Rhet. Special. c. 14. &c. I. Ger. Vossium l. 2 Institut. Orat. c. 13. & Partition. l. 2. c. 19.

[a] *Dispositio.*

Inuenire præclarè, enunciare magnificè, interdum etiam barbari solent: disponere aptè, commodè, variè, nisi eruditis negatum est. Pulsatis itaque omnibus omnium locorum, tam qui circumstantiarum & caussarum singularum proprij sunt, quàm dialecticorum & communium, foribus, lustratáque omni materiæ syluâ; vbi suppellectilem congesseris variam, eámque vel memoriæ firmiter impressam, vel vnâ chartæ facie, quasi synopsi delineatam tibi subieceris; acre adhibendum est iudicium, consilium solidum, & electio accurata. Reijciantur omninò quæ leuia sunt, vtpote vitiosa, apertè falsa, contraria, communia, futilia. In ijs etiam quæ adhibenda videntur vel ad probandum vel ad mouendum, delectus est habendus, proprius cuique locus assignandus: vt firmissima quæque sint prima ad conciliationem, vbi auditor maximè attendit expectátque; æquè valida reseruentur in exitum ad victoriam, quia quæ postremò dicuntur, maximè inhærent; mediocria in medium agmen conijciantur, specie & numero pugnatura. Discernendum itidem, vt quod boni habet causa, id exornes, ibi tabernaculũ constituas; ibi commoreris: si quid habet caussa vitij, id vel dissimules; vel si quid caussæ fauces premat, totũ illud bono tuo exaggerando obruere labores; caueásque ne tanquam prœuaricator in hostium castris verseris, neq; veluti desertor terga vertas, sed vel locum strenuè tuearis, vel cum specie quadam & pompâ dicendi recedas; teque eò conferas, quò vel argumentanti, vel concilianti, vel permouenti patet confugium.

[b] Disponat autem Orator rem suam vel ex
- Arte; quæ, præscribente ipsâ Naturâ, docet præfari, exponere, nostra probare, contraria refutare, concludere.
- Iudicio, quod, dictante Prudentiâ, Artis superstitionem & Partes, prout postulant Circumstantiæ, transponit vel etiam omittit.

[a] Arist. Rhet. 3. l. 13. c. Hermogenes περὶ εὑρέσεων τομ. α. Cic. de Inuentione l. 1. & ad eum Marius Victorinus. Cic. de Oratore. l. 2. Partitiones Cic. Quintilian. l. 7. Fortunatianus. l. 2 Sulp. Victor. p. 247. Martianus Capella. 5. l. p. 179. ex ed H. Grotij. Soarez. 2. l. 1. c. Dresserus. l. 1. p. 52. Hiperius. 4. 405 Keckerman. Syst. Rhet. l. 1. c. 9. Caussinus. 6. l. Vossius. 3. l. 1. c. Valladerus l. 4. disp. 1. De disponendis argumentis Iulius Seuerianus.

[b] De iudicio & consilio. Quintilianus. 6. l. 6. c. Fortunatianus. 3. l. p. 69. Sulp. Victor. p. 246. Alsted. Orator. l. 1. c. 15. Valladerus. 4. l. disp. 4.

Orationis

Orationis partes traduntur [c] sex: Exordium, Narratio, Propositio, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

[c] Sunt qui statuunt quinque partes, sunt qui quatuor, & in Contentione includunt propositionem, confirmationem, & confutationem.

Exordium.

Causâ diligenter perspectâ, locísque inuentis, considerandum vltimo loco quod in primo ponendum est, quo sit vtendum Exordio. Nimirum, vt non sit alienum, non vulgare, neque vulgi sentinam neque tamen artificij oleat myrothecia: verùm vt ex re nata & ipsis causæ visceribus sumptum, sit accuratum, acutum, instructum sententijs, floridum verbis, causæ proprium, verecundum, conciliationi natum, circumstantijs accommodatum, sequentibus connexum. Vestibula honesta sint, aditúsque illustres.

Cic. 2. de Orat. præcipit, post omnia de Exordio cogitandum. contra Fabius 3. l. 12. c. & Valladerus. l. 4. disp. 3. q. 3. περὶ παντὸς προοιμίου, καὶ ἐκ πόσων μερῶν συνέστηκε, ἐκ προτάσεως, κατασκεύης, ἀποδόσεως, βάσεως, &c. Hermogen. περὶ εὑρέσεων τομ. α.

Estque:
- Principium; quo in causâ Honestâ statim & apertè Beneuolentia, Attentio & Docilitas parantur.
- Insinuatio, qua in causa Turpi, Dubiâ, Humili vel Obscurâ, turpitudinis partem diluimus professíque nos dicturos de rebus magnis, necessarijs, nouis, vtilibus, iucundis, præparamus Auditores, reddimúsq; beneuolos, attentos, dociles.

De ratione conficiendi Exordij & cæt. partium Orationis in omni genere, vide Valladerum. l. 8.

Ducitúrque in genere:
- Iudiciali, à personâ Oratoris, Rei, Iudicum, Auditorũ, Aduersarij, vel etiam ab ipsa Re.
- Deliberatiuo, à Criminatione, Depulsione, Amplificatione, Diminutione, vel Ornatu.
- Demonstratiuo, a Laude, Vituperatione, speciosâ aliquâ historiâ, naturali obseruatione, Fabulâ, Similitudine, Contrario, Apophthegmate, Sententiâ, Exemplo, Allusione, vel generali pronunciato; vnde ad propositam Quæstionem commodè transeatur.

Narratio.

Narratio est rerum gestarum vtilis ad persuadendum id quod intenderis commemoratio; sedes & fundamentum fidei, atque argumentorum seminarium.

Narrationis virtutes, vitia, typos expressos atque exempla: vide apud Caussinum. l. 6. Eloq. Humanæ.

In Deliberatiuo, vbi de futuris consultatur, superuacua est Narratio, nisi quæ extrinsecus incidat: vt & in Demonstratiuo, quæ continua quasi narratio est. In Iudiciali etiam omittitur, sicubi parum pro nobis faciat, aut antè innotescat.

Sitque:
- Perspicua; verbis proprijs & vsitatis, ordine temporum seruato, non interrupta.
- Verisimilis; circumstantiis naturæ legi & moribus consentanea, ad rumorem & opinionem accommodata.
- Suauis; quæ contineat noua, inexpectata, magna, grauia, exitus iucundos.
- Brevis; re non altiùs petitâ, non extra causam: ita tamen vt nihil desit.

* Narratione expositâ licebit excurrere in lætum aliquem & plausibilem locum, quæstioni præuium, aut rei amplificandæ animisque excitandis idoneum.

* Αἰνὰ δὲ καὶ ἐκφυλοι αἱ παραβάσεις, &c. Longinus. c. περὶ φαντασίας. De Egressione Fabius 4. l. 3. c. & Vallader. l. 4. disp. 3. qu. 13. & eundem de Transitionum varietate. l. 4. disp. 2. quæst. 10.

Propositio

est vel:
- Simplex; qua status & summa totius causæ breuiter comprehenditur.
- Seiunctio; quæ tantùm in genere Iudiciali adhibetur; per quam statuimus quid nobis cum aduersario conueniat, & quid in controuersiâ relinquatur.
- Partitio; qua in omnibus causarum generibus vti licebit: qua enumeramus quot & quibus de rebus simus dicturi, atque is vt plurimùm in dicendo seruabitur ordo, qui hîc exponitur.

Partitio commendatur breuitate, absolutione & paucitate partium; triùm scilicet, aut summùm quatuor.

Confirmatio.

Etsi fidem tantùm facere præ se ferendum sit oratori: Quoniam tamen duæ sunt animi auditoris partes in quibus tractandis versatur flexanima & ψυχαγωγὸς Πειθὼ, *Intellectus*, qui quasi animæ oculus reficiendus est colo-

re,

re, illustrandus est lumine rationis & veri, quod proprium est Intellectus pabulum; & Voluntas, quæ Tactus more mollium rerum aut durarum oblatione flectitur trahitúrque: vsu venit vt causâ quandoque cadat orator nihílque consequatur, si Voluntas, quæ libera est neque statim obtorto collo in ius rapitur, ceruice quasi obfirmatâ non obsequatur. Quocirca caducéus iste geminis armandus est anguibus, qui inter vestes lapsi & leuia pectora, voluantur attactu nullo, fallant sensus, se in mentis intima præcordia insinuent, & quem volent affectum ossibus ac medullis implicent. Neque enim oratoris satis erit Dialecticis lacertis vtcunque validis mittere ferro præfixas hastas; nisi & eas artificij nitore exornet, Motus amento instruat. Arida illa argumentorum ossa, corpus firmamentorum exangue, horridum quasi nudarum rationum sceleton, ne tædio sint & terrori, Argumentationum carne inuestiat Orator, Motuum neruis firmet, Delectationum musculis solidet, Artis succo & sanguine distendat. Confirmandi itaque sibi comparet cùm Materiam tum Formam. Materia, sunt [e] Argumenta, h. e. probabilia inuenta ad faciendam fidem. quæ non secus atque metalla è fodinis, aut pharmaca ex apothecis suis singula, petuntur è Locis Insitis & Assumptis, Artificiosis & artis expertibus, Dialecticis & Rhetoricis certis, probabilibus atque verisimilibus, [f] Circumstantijs, de quibus suprà in præceptis Inuentionis & generum singulorum dictum. Neque solùm ex armamentarijs Dialecticorum promat argumenta quæ Doceant; sed & ex Ethicorum fontibus atq; Rhetorum hauriat quæ Concilient, quæ Moueant. Ne sit hospes in Humanitate neque peregrinus domi, sed norit omnino [g] Mores, qui dicentem deceant, qui Reip. in qua degit, iis apud quos dicit insideant vel â Naturâ insiti, vel ab ætate aut fortunis quasi acquisiti. Norit [g] Affectuum maria, quibus quæque

e De Inuentione argument. & Locis Cic. de Inuentione l. 1. & 2. atque ad eum Marius Victorinus. 2. de Orat. Topica ad Trebatium. Ant. ad Heren. 1. & 2. Quintil. 5. l. 10. c. & 13. Mart. Capella 5 l. p. 154. Soarez. l. 1. c. 12, &c. Dresserus l. 1. p. 46. Hiper. c. 2. Voss. Instit. l. 1. c. 2. Caussinus. l. 4. c. 2. Valladerus. 3. l. disp. 4.

f Hermogenes. περὶ ἐυρέσεων τομ. γ. c. περὶ ἐπιχειρημάτων. Theon περὶ διαλλήλων.

Valladerus l. 3 disp. 3. qu. 3. & Rhetores omnes. g De moribus ἤθεσι, Affectibus πάθεσι, lenibus, & grauibus, & de ijs mouendis, Arist. 2. l. Rhet. totus. Hermogen. μεθ. δεινότ. Apsini τέχνη ῥητ. Aut. ad Herenn. 2. & 3. l. Cic. de Oratore l. 2. Quintil. 6. l. 3. c. & 12. l. 2. c. Mart. Capella 5. l. 162. p. Keck. sp. Rh. l. 1. c. 9. &c. Rhet. Eccles. l. 1. c. 3. Iul. Seuerianus. Dresser. l. 1. p. 109. Hiper. c. 10. p. 422. Voss. Inst. l. 2. totus. Caussin. B. l. 8. Vallader. l. 3. disp. 4.

ventis concitentur, sedentur: discernat, qui Affectus, in quantum, in quibus & erga quos sint mouendi; quibus de causis & qua ratione incitentur animi facultates, Concupiscens & Irascens ad appetendũ ea quę videntur bona, ad auersandum ea quæ apparent noxia, quomodo disponatur ad ea vel præsentia vel absentia, Amore, Gaudio, Odio, Dolore, Spe, Irâ, Metu. dominari sciat in Affectuum regno, atq; *fœdere certo Et premere & laxas dare habenas*, vt ait poeta: hoc est, in lætitiâ dilatare corda audientium, in mœrore contrahere.

Argumentationis ergo, quæ tractandi argumenti est forma, varia sunt genera. perfectissima tamen atque vsitatissima ex ijs sunt, Epicherema siue Syllogismus Rhetoricus, Enthymema, Inductio, & Exemplum. atq; hæc quidem versantur circa Fidem, docent probantq; : circa Affectus verò commouendos, illa quæ Amplificatio dicitur.

[h] Epicherema siue Syllogismus Rhetoricus constat ex 1. Propositione Maiori, cui subiicitur ipsius 2. Ratio, vnâ pluribúsue instantiis probata; Deinde 3. Propositione Minori seu Assumptione, quæ & 4. Rationem suam habet adiunctam; 5. Complexione denique seu Conclusione; vt: 1. *Meliùs accurantur, quæ consilio geruntur, quàm quæ sine consilio administrantur.* 2. *Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus rebus est instructior, quàm quæ temerè et nullo consilio administratur. Rursum, Nauis optimè cursum conficit, quæ scientissmo gubernatore vtitur: eadem est Exercitus & cæterorum ratio.* 3. *Nihil autem omnium rerum mèliùs quàm mundus administratur.* 4. *Nam & signorum ortus obitúsque definitum quendam seruant ordinem: & diurnæ nocturnæque vicissitudines immutatæ perstant.* 5. *Consilio igitur regitur mundus.*

[i] Varietatis gratiâ, ne cognoscat artem qui audit adeoque defatigetur similitudinis satietate; inuertantur subinde argumentationum partes. quandoque etiam vel alterius Propositionis Ratio, vel ipsarum Præmissarum altera tanquam pro manifestâ ac concessâ omittatur. Adiiciatur aliquando Exornatio aut Amplificatio; Interrogatoriè proponatur pars vna aut altera: argumentorum puncta occulantur. Artis est celare artem.

[k] Enthy-

h Hermogenes περὶ εὑρίσεων. τομ. γ. περὶ ἐπιχειρημάτων καὶ τάξεως αὐτῶν. & Minucianus l. περὶ ἐπιχειρημάτων. Autor ad. Heren. l. 2. Quintil. 5. l. 14. c. Soarez. 2. l. 17. c. Dresserus l. 1. Hiperius c. 8. Valerij tab. Rh. p. 22. Sandersoni dialect. 3. c. 7. Eras. De conscrib. epist. Vos. Inst. l. 3. c. 5. Caussin. El. 6. l. 25. c. Vallader. 4. l. 2. disp. 3. q.

i Valladerus. 4. l. disp. 2. qu. 9. &. 12.

k Enthymema est imperfectus Syllogismus; in quo nimirum Maior Minórue desideratur. Optimum est illud Enthymema, quod ex contrariis conflatur, quòdq; vt acutius sit, per Interrogationem non raró effertur; vt *Quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris?*

k Arist. Rh. l. 2. c. 23. 24. 25. 26. Hermogenes: περὶ ἰδέων τόμ. 7. Apsini. τέχνη ῥητορικὴ. Soarez. 2. c. 19. Caussin. l. 6. c. 28. Vos. l. 3. c. 5. Vallader. l. 4. disp. 2. qu. 5.

l Inductio est illatio ex enumeratione præcipuarum partium, vel collatione illustrium aliquot indiuiduorum; ita vt ex multis singularibus probetur vniuersale; vt: *Plebs Romana optimè de Milone sentit, Equester ordo optimè sentit, Senatus optimè sentit. Totus ergo populus Romanus optimè de Milone sentit.* Clarior tamen est illa Inductio Socratica, quæ per Interrogationem vel Subiectionem aduersarium premit; vt: *Quodnam pomum est generosissimum? Nonne quod optimum? Et quis equus generosissimus? nonne qui velocissimus? Quis autem ager? certè qui fertilissimus. Ita & hominum, non qui natalium splendore, sed qui virtutis gloriâ præstant, habendi sunt generosissimi.*

l Quintil. 5. l. 11. c. Soarez 2. l. 20. c. Vossius. l. 3. c. 5. Caussin. 4. l. 56. c. Vallader. 4. l. 2. 7. quæst.

m Exemplum est Inductio imperfecta, seu probatio & mensura à simili quod vtriq; conuenire arguitur. quando scilicet ex vno singulari aliud singulare probatur; vt *Iure occisus est Saturninus res nouas molicns, sicut Gracchi.*

m Arist. Rh. l. 2. c. 21 & περὶ γνώμων. c. 22. Apsini τέχνη ῥητορικὴ. Quintil. 5. l. c. 11. Eras. cop. rer. Soarez. 2. l. c. 21. Caussin. l. 4. c. 55.

In Iudiciali genere præcipuum instrumentum est Enthymema; in Demonstratiuo dominatur Amplificatio; in Deliberatiuo familiam ducunt & vtrámque paginam faciunt Exempla.

Cautio est, ne tota oratio sit conflata ex condensatis Exemplis, aut testimonijs. Neque ipsa argumenta conferto agmine stipentur. Magísque ex vsu & re nostrâ fuerit, dum affectus mouemus, sententiis quàm argumentis vti. Segniùs enim mouentur Affectus in castris cordis ad volendum: quandiu in arce capitis Intellectus occupatur in excutiendo Vero.

m περὶ αὐξήσεως καὶ τῶν ἰδίων αὐτῆς. Longinus περὶ ὕψους. Hermogen. περὶ μεθόδου δεινότητος. Cic. 3. de Oratore comprehendit Amplificationem sub Elocutione. Quintil. 8. lib. c. 4. Soarez l. 1. a. c. 34. ad 41. Strebæus l. 2. c. 21. Caulerius l. 3. c. 2. Chytræus addit Hypothesin reductam ad Thesin. Sturm. de rat. El. c. 30. & 35. Kec. Syst. Rh. lib. 1. c. 7. Voss. Instit. 3. l. c. 5. Caussin. l. 5. totus. vbi 8. modi ponuntur: quos etiam habuit Erasm. l. de copia rerum.

m *Amplificatio est grauior quædã affirmatio, ad ciendos affectus potens.*

Amplificatur
- Rebus
  - Verbis, illustribus, superlatis, asyndetis, iteratis, relatis, ad superiora gradatim ascendentibus, synonymis.
  - Incremento: gradibus ad summum, ac etiam supra insurgendo; vt: *Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, propè parricidium necare: quid dicam in crucem tollere?*
  - Comparatione: à minoribus ad majora argumentando; vt: *An verò vir amplissimus P. Scipio Pontifex Max. Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum Reipub. priuatus interfecit: Catilinam orbem terrarum cæde atque incendio vastare cupientem, nos consules perferemus?*
  - Ratiocinatione: ex ijs quæ dicta sunt, quidpiam reipsâ majus innuendo; vt: *Tu istis faucibus, istis lateribus, istâ gladia oriâ totius corporis firmitate, tantum vini exhauseras, vt tibi opus esset vomere, &c.*
  - Congerie: alijs atque alijs modis eandem rem efferendo; vt: *Quid enim tuus ille, Tubero, districtus in acie Pharsalicâ gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat? quis sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?*

Extenuatur à præceptis contrarijs.

Vide & quæ supra in calce generis Demonstratiui super hac ipsâ re dicta sunt.

Confutatio.

Confutatio.

Huic ferè cum confirmatione communia ſunt natura, vtilitas, & tractatio.

Argumenta aduerſarij refutantur,
- ſi, ex ijs quæ ſumpta ſunt, non concedatur vnum aliquid aut plura.
- ſi oſtendimus falſa eſſe pro veris aſſumpta.
- ſi ex his conceſſis id conſequi negetur.
- ſi contra firmam argumentationem, alia æquè firma aut firmior adducatur.
- ſi, quibus ſeriò reſpondere haud in promptu eſt, eleuemus[n] iocô, atque ipſos contemptu aut increpatione deluſos falsè facetéq; derideamus.

[n] De facetijs, ridiculis, lepórum aſpergine, & quaſi iocandi arte, Ariſt. Rh. 3. l. c. 10, 11. & 18. Cic. 2. de Oratore. Quint. 6. l. 4. c. Caſtilionis Aulicus 2. l. Voſſ. Inſt. 3. l. 5. c. Vallader. 3. l. diſp. 4. qu. 5. & diſp. 5. qu 4.

Accedendo ad ſingula argumenta, & primum validiora diſcutiendo, vniuerſa infringentur meliùs.

Confutatio præmittitur confirmationi, quando arx cauſæ requirit, vt via muniatur ad veram ſententiam.

Peroratio.

Eſtq; vel
- Enumeratio, quæ potiſſima argumenta rerúmque capita recenſet, idque vel ſimpliciter: vel per Interrogationem, Ironiam aut Collationem. Atque hac in Iudiciali vti licet; in Demonſtratiuo & Deliberatiuo rariſſimè.
- Affectuum concitatio, ad quam valent in
  - Demonſtratiuo; quæ expectationem, admirationem, voluptatem moueant.
  - Deliberatiuo; bonorum ac malorum enumerationes & exempla.
  - Iudiciali; accuſatori, quæ ad indignationem; defenſori, quæ ad miſericordiam.

In affectibus mouendis adhibenda sunt quæ magna habentur { Naturâ. / Vsu. { Charitate. / Honestate. / Vtilitate.

Huc facit Amplificatio, de qua supra in genere Demonstratiuo & Confirmatione.

Sit Peroratio breuis, acris, & aculeata.

ELOCVTIO.

[1] Elocutio consistit in Elegantia, [2] Compositione, & [3] Dignitate.

1. *Elegantiæ munus est, vt dicatur* Purè & Perspicuè.

Pvrè, verbis, siue illa simplicia sint siue coniuncta, puris lectisque, vrbis alumnis, aut ciuitate certè donatis; non obsoletis, intermortuis & conclamatis, non obscœnis, peregrinis aut barbaris; nec Grãmaticè tantùm; seruatâ casuum, temporum, generum & numeri structurâ, [o] adhibito spiritus & accentus iusti temperamento; sed [p] Latinè, quoad phrasim & locutionem; ex autoritate & more probatissimorum autorum, atque eorum præcipuè qui in virili Romanę eloquentiæ ætate floruerunt, Ciceronis inprimis, deinde qui eum proximè accedunt, Cæsaris, Liuij, Velleij, Curtij, Fabij, mox etiam Terentij, Plauti, Salustij, Agellij, Taciti.

Planè & [q] *perspicuè*, verbis vsitatis ac propriè significantibus citra verbi aut sermonis ambiguitatem, quam maximè oratoriis, non nimis longâ verborum serie continuatis, nec tamen concisè nimis: non duriùs translatis, non discerptis sententiis, non præposteris temporibus; non confusis personis, non perturbato ordine.

[o] Arist. Rhet. 3. l. Dem. Phalereus περὶ ἑρμηνείας. Cic. de Orat. 3. l. & Partition. Quint. 8. l. Mart. Capella 5. l. 165. p. Fortunatianus l. 3. Soarez l. 3. c. 1. Sturm. de rat. Elocutionis. Keck. Rh. Syst. l. 2. c. 1. Alst. Or. l. 4. c. 16. Causs. 7. l. Voss. 4. l. 1. c. Vallad. l. 5. Strebæus l. 1. de delectu & collocatione verborum. Vincent. specul. Doct. l. 4. c. 108.

[p] Cic. de Orat. 3. l. Dress. l. 2. Hiper. 13. c. p. 430. Alst. Orator. 4. l. 9. c. Causs. 7. l. 2. c. Voss. l. 4. c. 1. Vallad. l. 5. d. 1. qu. 3.

[q] Quint. 8. l. 2. c. Alst. Or. l. 4. c. 8. Voss. 4. l. 2. Vallad. l. 5. disp. 1. quæst. 4.

2. [r] Compositio

2. [r] Compositio respicit *Iuncturam, Ordinem, Periodum* & *Numerum*. *Iunctura* ex molli elementorum, syllabarum & vocum coagmentatione reddit orationem cohærentem, lenem, æquabiliter fluentem, suauem, plenam, sonoram. Cauet scilicet, ne in verborum commissione hiulca sit oratio propter collisionem vocalium; vt, *Rem anxiè quærere, atque adeptâ egere, auari animi est*: Ne sit horrida & aspera propter concursum diuersi instrumenti consonantium; vt, *Consulum dignitas grauem tumultum ciuium repressit*; sed vt priorem à vocali terminatam insequens dictio à consonanti inchoans excipiat, aut contra à consonanti clausam aperiat dictio incipiens à vocali vel consonanti eiusdem organi, labiorum scilicet, dentium, aut palati. Mollitiem quippe fluoremque præstat concatenata vocalium & consonantium alternatim in claudendis aperiendísque vocibus mistura; vt, *E cuius ore melle dulcior effluebat oratio*.

Nec vltima præcedentis dictionis syllaba sit eadem cum primâ sequentis; vt, *Æquora tuta tacent, spuma maris risit*. Quamuis hæc compositio quibusdam è veteribus placuisse in tantum videtur, vt etiam in deliciis fuerit atq; obtinuerit inter Schemata locum, & nomen, Parechesis nuncupata. Vocabula denique mediocria præferantur longis continuatis, aut monosyllabis condensatis.

[f] *Ordo* cauet 1. ne decrescat oratio in amplificãdo, sed insurgat: *Non enim fusem, sed direptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ*; *non sacrilegum, sed, &c.* in extenuando, contrà submittatur. 2. Vt præcedant minùs necessaria, quæ item naturâ vel dignitate priora & præstantiora sunt: *Dies nocti, vir fœminæ, oriens occidenti*. 3. Vt claudatur sensus Verbo, quod tanquam sententiæ clauis expectatur, nisi lex numeri vetet. 4. Vt Genitiuus plerunque præcedat Nomen vnde regitur, & eleganter interiiciatur Genitiuus aut aliud aliquid inter Substantiuum & Adiectiuum: *Cuius vita turpitudinis conscientiâ vacat*; *eius nomen ab inuidiosa, quantum in nobis est, maleuolentiâ vindicetur*. 5. Vt vocum insuauiter ὁμοιοπτώτων κακοφωνία declinetur, vel aliarum interpositione, vel ipsarum immutatione; dicaturque potiùs, *Clarorum consilia virorum*; aut, *illustrium virorum*; vel

[r] Dionys. Halicarnass. & Dem. Phal. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων. Autor. ad Herenn. 4. l. Cic. de Or. 3. l. Fabius 9. l. 4. c. Ac nescio negligentia in hoc, an solicitudo sit peior. Ruffinus versu. Sturm. l. 3. Elocut. Rh. c. 4. Iul. Scal. 4. l. poetic. 2. c. Soarez 3. l. c. 31. & 33. Strebæus 2. l. de Elect. & collocatione verborum. c. 3, 4, & 5. Voss. l. 5. c. 2. Causs. 7. l. 3. c. Vallad. l. 5. disp. 2. qu. 13. & 15.

[f] Soarez l. 3. c. 32. Voss. l. 5. c. 1. Vallad. l. 5. disp. 2. quæst. 14.

vel *clarissimorum hominum*; quàm *Clarorum virorum.*

[t] *Periodus* sententiam Commatis & Colis iustè perficit.

[s] Arist. Rhet. l. 3. c. 9. Hermogen. περὶ ἰδεῶν τομ. δ. & sequenti c. περὶ πνευμαλ. Stur. 3. l. c. 2. de ratione Elocutionis. Demetr. Phal. περὶ ἑρμηνείας. Cic. 3. de Oratore. Fab. l. 9. c. vlt. Iul. Scal. l. 4. poetices. c. 25. Keck. Rh. l. 2. c. 22. Soarez l. 3. c. 37. Dress. 3. l. Strebæus l. 2. c. 16. Vossius l. 5. c. 2. Caussin. 7. l. 5. c. & de periodi implendæ artificio 7. l. 13. c. Vallader. 5. l. disp. 2. quæst. 17.

Comma seu Incisum est sensus non expleto numero conclusus, à duabus syllabis ad septem vsque aut circiter extensus. è quibus Periodus non rarò constat: vt, *Stetit soleatus prætor P. R. cum pallio purpureo, tunicáque talari, mulierculâ nixus in litore.*

Colon seu Membrum sensum numeris concluſum absoluit, sed à Periodo auulsum suspendit auditoris expectationem, vt non perficiens sententiam: progreditúrq; à duodecimâ syllabâ ad decimam octauam, quandoque ad vicesimam quartam.

Periodus constat duobus Colis (quandoque & Commatis) quorũ prius vocatur θέσις, posterius ἀπόδοσις, seu redditio: vel tribus, vel etiam quatuor constat membris, quæ aut æqualia sunt, aut in acri oratione postrema sunt breuiora, in ornatâ productiora. Pulcherrima tamen est illa Periodus, quæ membris quatuor absoluitur, vt quæ animum suspendat & aures impleat: *Si, quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque iudicijs impudentia valeret: non minùs in causâ cederet A. Cecinna Sexti Ebutij impudentiæ, quàm tum in vi faciendâ cessit audaciæ.* [u] Quid quod hîc concinnitatem aduertis & gratiam Periodo conciliatam ab ῥυθμοποιΐᾳ ex ὁμοιοπτώτοις & ὁμοιοτελεύτοις? Quam & præstant ἀντίθετα, Opposita seu Contrapositа; *Conferte hanc pacem cum illo bello, huius prætoris aduentum cum illius imperatoris victoriâ, huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius continentiâ: ab illo qui cepit conditas, ab hoc qui constitutas accepit, captas dicetis Syracusas.* Vt & ἰσόκωλα seu paria paribus relata; *Bellum extremâ hieme apparauit, ineunte vere suscepit, mediâ æstate confecit.* Est vbi omnes hæ in vna periodo conspirant virtutes; vt, *Est enim hæc non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus.* Neque interim gratiâ suâ laudéque carent quæ intertexta repetuntur: *Tenuerunt illum locum serui, fugitiui, barbari, hostes; sed neque tam serui illi dominorum, quàm tu libidinum;*

[u] De Concinnitate; videndi, Dem. Phalereus περὶ ἑρμηνείας. Strebæus de electione & collocatione verborũ. l. 2. c. 7, 8, 9, 10. Valladerus l. 5. disp. 2. quæst. 16. de Homoioteleutis, homoioptotis, Paribus, Antithetis, idem l. 5. disp. 1. quæst. 11.

dinum; neque tam fugitiui illi à dominis, quàm tu à iure & legibus; neque tam barbari linguâ & natione illi, quàm tu naturâ & moribus; neque illi tam hostes hominibus, quàm tu dijs immortalibus. Quæ deprecatio igitur est ei reliqua, qui indignitate seruos, temeritate fugitiuos, scelere barbaros, crudelitate hostes vicerit?

x Numerus rationem habet quantitatis syllabarum quas in membrorum initijs & accuratiùs aliquanto in periodorum clausulis ad tres aut minimùm duos pedes restringit. neque enim poterit illud placere quod statim quasi in vestibulo offendit, neq; laudem demereri quod non feliciter exeat. Media, quia latent, minùs obseruantur, vbi tamen oratio concitata fluit breuibus syllabis grauis retardatur longis, moderata temperatur vtrisque.

In principijs laudatur Molossus, Sī qūis iūdices. Creticus, Quōd prĕcātŭs à dijs immortalibus sum. Pæan primus, Pāucă sŭpĕr hac re. Dochimus, Nŏuæ crīmīnātiones. Dichoræus, Si qŭis āntĕa P.C. Quandoque Anapæstus, ănĭmāduerti iudices.

Ne claudatur Periodus termino versus notioris, Heroici, Pentametri, aut Asclepiadei. Optimè cadunt, claudúntque sententiam hi pedes: Creticus præpositus Dichoreo, Glōrĭam cōmpărāuĭt. Choreus ante Molossum, Mēmbră firmāntūr. Dochimus, rĕīpūblĭcæ. Dispondæus Iambo postpositus, Rĕūm cōndēmnārūnt. Pæan primus insequenti Spondæo, ēssĕ vĭdĕātūr.

Atque in his tamen alij pedes alijs præferendi, pro Characteris & Materiæ subiectæ maiestate, acumine, vehementiâ, grauitate, aut aliâ ratione.

Ad cauendam satietatem & tædium, dissimulandum est artificium, & præ se ferendum numeros sponte fluxisse. Videndúmque ne pes idem sæpiùs ducat claudátue sententiam: vt absit odium similitudinis, qua nihil est in hac arte vitiosius.

Neque monosyllaba sæpiùs, neque productiora verba claudant sententiam.

x Arist. Rh. 3. l. c. 8. Cic. de Orat. 3. l. Cic. Or. perfectus. Dionys. Halicarn. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων. Fabius l. 9. c. 4. M. Capella. l. 5. Ruffini versus. Caulerus 5. l. 14. c. Strebæus l. 2. c. 12. & 13. Soarez 3. l. c. 35. & 39. Iouitæ Rapicij ll. quinq; super hoc argumento. Keck. Rh. spec. 2. l. c. 21. Causs. 7. l. 4. c. Voss 5. l. 3. c.

3. *Dignitas*

3. *Dignitas præstat vt dicatur*

- Ornatè
  - Tropis, qui vocem à propriâ & genuinâ significatione deflectunt ad alienam.
  - Schematibus, quæ habitu & formâ elegantiori figurãt
    - Verba, ex aptâ eorum inter se collocatione, iucundè sonantia.
    - Sententias, ratione & pondere firmatas, aut animi motu affectas.
- Aptè, vt deceat; ex orationis facie, pro variâ materiâ, formatæ propriâ Ideâ & charactere, ℊ

Volebam certè, quæ de Tropis & Figuris versu qualicunq; compacta sequuntur, oratione solutâ, vti par fuerat, cæteris continuâsse. Sed religio est auersari iudicium vulgi, qui ista olim publicum indepta fauenter excepit, excepta iam desiderat. (mira sanè quæ populo placeant!) Feras igitur, lector beneuole, quod corrigere est nefas, versus per tesqua & salebras, quod in technico doctrinali necesse est, quandoque cæspitantes: atque adlubescat cum eruditis sentire, cum vulgo loqui.

Tropi 4.

DAt propriæ similem translata * Metaphora vocem:

Cæptis aspirant. Irarum fluctuat æstu.
Læta seges. Gemmant vites. Duo fulmina belli.
Ingenij flumen. Mens ferrea. Classis habenas.

* Non est alius Tropus frequentior quàm Metaphora, non florentior quippe quæ lumen & stella sit orationis, breuis & contracta in vnam vocem similitudo: faciátque ad copiam, maiestatem, euidentiá & festiuitatem.

Atque Metonymia imponit noua nomina rebus:
1. Efficientis, vt Inuentoris; *Marte. Lyæo.*
Autoris: *legitur Iuuenalis. Liuius ingens.*
Materiæ: *Pinus. Ferrum, æris aceruus, arundo.*
Aut instrumenti: *gladius, lingua, arma, manúsque.*
2. Effecti: *clades Libyæ. mors frigida. pallet.*

3. Subiecti:

3. Subiecti: [a] *Curij.* [b] *pateræ.* [c] *Germania.* [d] *Rostra.* [e] *Vlalegon.* [f] *cor, os.* [g] *patronus.* [h] *nox.* [i] *Amaryllis.*
4. Adiuncti: [k] *fasces.* [l] *scelus.* [m] *ætas nulla.* [n] *libelli.*

Confundit totum cum parte Synecdoche. Partis, [o] *Myrtoum; Auster;* [p] *hyems; tectum; mucro.* [q] *Annibal;* [r] *Anglus.*
2. Totius: [s] *orator; color.* [t] *annus.* [u] *vixit.* [x] *Atrides.*

Contrà quàm sentit solet Ironia iocari.
Scilicet; egregiam laudem; pulchrè; bone custos.

4. *Troporum Affectiones.*

Durior impropriæ est Catachresis abusio vocis:
Vir gregis; vltorem promisi; pulchra minatus.

Transcendit medijs gradibus Metalepsis ad altum:
Hinc mouet Euphrates bellum. Mirabor aristas.

[y] Extenuans [z] augénsue excedit Hyperbole verum:
Astra ferit. plumâ leuior. volat ocyor Euro.

Continuare tropos Allegoria adsolet: *Absque Et Cerere & Bacchо Venus alget. claudite riuos.*

Tropi falsò habiti.

[a] Antonomasia imponit cognomen, vt; *Irus; Impius; Æacides; Pœnus; Cytherea; Poëta.*

Non equidem laudo, est [b] Litotes; *nec munera sperno.*

A sonitu voces [c] Onomatopœia fingit;
Bambalio; Clangor; stridor; taratantara; murmur.

[d] Antiphrasis voces tibi per contraria signat;
Lucus; sacra fames; Euxinus; Symphora; Parcæ.

[a] Subiectum pro accidente.
[b] Continens pro contento.
[c] Locus pro incolis.
[d] Locus pro gestis in loco.
[e] Possessor pro re possessâ.
[f] Sedes pro qualitate inhærente.
[g] Patronus assumit personam clientis.
[h] Tempus pro re in illo gestâ, vel habitu eius.
[i] Signatum pro signo.
[k] Signum pro signato.
[l] Qualitas pro personâ subiectâ.
[m] Tempus pro subiectis illius.
[n] Locatum pro loco.
[o] Species aut indiuiduum pro genere.
[p] Pars pro toto.
[q] Dux pro exercitu, velut pars primaria.
[r] Numerus pro numero, Singularis pro Plurali; & contra. Finitus pro infinito: & contra.
[s] Genus pro specie aut indiuiduo.
[t] Totũ pro parte.
[u] Antecedens pro consequente. hoc tamen alij Metonymiæ, alij Metalepsi adiudicant. [x] Patronymicum commune pro certo & determinato. [y] Quæ dicitur Meiosis, diminutio. [z] Quæ dicitur Auxesis, sublatio, amplificatio. [a] Species Synecdoches & Metonymiæ. [b] Species Synecdoches. [c] Metonymiæ species.

Dat

Dat [d] Charientismus pro duris mollia verba;
At bona verba precor. ne sæui magna sacerdos.

[d] Astismus iocus vrbanus, ceu scomma facetum est:
Qui Bauium non odit, amet tua carmina, Mæui:
Atque idem iungat, vulpes, & mulgeat hircos.

Insultans hosti illudit [d] Sarcasmus amarè:
En agros metire iacens Hinc nuncius ibis
Pelidæ referens Satia te sanguine Cyre.

Æthiopem laterémue lauare: [e] Parœmia dicta est.

[e] Ænigma obscuris tecta est sententia verbis:
Filiolas Cadmi profert Nilotis arundo,
Quas serit è Cnidio distillans sepia nodo.

[d] Ironiæ species. Verùm quàm futile sit hoc Grammaticorum scitum, quàm intutum Etymologistarum asylum, vide I. Cæs. Scalig. Poetic. l. 3. c. 90. G. Finkium l. 1. Schediasm. 42. C. Becmannum de originibus Ling. Lat. & I. Ger. Voss. l. 4. Institut. Orat. c. 13.

[e] Allegoriæ species.

Schemata Rhetoricæ dictionis.

Eiusdem sit [f] Epizeuxis repetitio vocis:
Ah Corydon, Corydon me, me bella, horrida bella.
Talis amor Daphnim (qualis cùm fessa iuuencam
Per nemora atque altos quærendo bucula lucos, &c.)
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.

Est [g] Anadiplosis quoties ex fine prioris
Membri, principium fit dictio prima sequentis:
Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas.

Continuâ serie est repetita gradatio [h] Climax:
Quod libet, id licet his; & quod licet, id satis audent:
Quodque audent faciunt; faciunt quodcunque molestum est.

Diuersis membris frontem dat [i] Anaphora eandem:
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago.
**Tu pugnare potes, mihi sacri est consilij vis:*
Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri est.

[f] Ad Emphasin & affectum expressa. sit autem vel eâdem voce repetitâ immediatè, vel vna interiectâ, aut pluribus per Parenthesin.

[g] In vehementiori animi motu adhibita emphasin habet.

[h] Concinnat connectitque venustè multas causas à se dependentes. Cuius in Sorite vsus est.

[i] Florida figura, quæ varias enumerationes ductat, asseuerat, exaggerat.

* Elegantissimè cùm res oppositæ inter se penduntur.

Com-

Complures clauſus concludit.[k] Epiſtrophe eodem
Dicto: *Crede mihi, ſi te quoque pontus haberet;*
Te ſequerer coniux, & me quoque pontus haberet.

[k] Feſtiuè & eleganter periodum concinnat.

[l] Symploce eas iungit complexa vtramque figuram:
Quàm bene, Caune, tuo poteram nurus eſſe parenti!
Quàm bene, Caune, meo poteras gener eſſe parenti!

Incipit & voce exit [l] Epanalepſis eâdem:
Pauper amet cautè, timeat maledicere pauper.

[l] Res graues cum maieſtate inculcat.

Prima velut mediis, mediis ita [m] Epanados ima
Conſona dat repetens: *Crudelis tu quoque mater,*
Crudelis mater, magis an puer improbus ille?
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

[m] Diſtinctiones & Argumentationes concinnat.

Voce parum mutatâ alludit ſignificatum
[n] Paronomaſia: *tu prædo, non prætor amari*
Me iuuat, Antanaclaſis erit, *ſi nil ſit amari.*
Eſtque Ploce: *Corydon Coridon eſt tempore ab illo.*

[n] Eleganter in conuerſionibus iocatur, pungitque ſimul.

Eſto [o] Polyptoton, vario ſi dictio caſu
Conſonet: *arma armis, pede pes, denſuſque viro vir.*

[o] Pulchrè exponit, contraponit, repetit.

Schemata ſententiæ ad Explicationem.

[p] Res, [q] loca, [r] perſonas, [ſ] affectus, [t] tempora, geſta,
Exprimit, atque oculis quaſi ſubijcit [u] Hypotypoſis.

Species Hypotypoſeωs ſunt [p] Pragmatographia, [q] Topographia & topotheſia, [r] Proſopographia, [ſ] Pathopœia, [t] Chronographia. [u] Diatypoſis, Enargia, Characteriſmus.

Explicat, oppoſitum addens [x] Paradiaſtole; *Obumbrat*
Virtutem fortuna; tamen non obruit illam.

[x] Paralogiſmum conſequentis arguit.

Oppoſita Antimetabole mutat dicta: *Poëma*
Eſt pictura loquens; mutum pictura poëma.

Librat in Antithetis contraria [y] Enantioſis:
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

[y] Comparando illuſtrat delectatque.

[z] Synœceioſis duo dat contraria eidem:

[z] Aſſeuerat & exaggerat.

Tam

Tam quod adest, desit, quàm quod non adsit, auaro.

*Ludendo eleuat; pungit tamen.

* Oxymoron *iners* erit *ars, concordia discors.*

Ad Probationem.

[a] Refellenti congruit atque redarguenti.

Propositi reddit causas [a] Ætiologia:
Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Arguit allatam rem contrà Inuersio pro se:
Imò equidem; neque enim si occidissem, sepelissem.

[b] Et Procatalepsis. A priore parte dicitur Præsumptio, Obiectio, Anteoccupatio: à posteriore, Subiectio, Anthypophora. Estque Proœmijs & Confirmationibus accommodatissima.

Anticipans, quæ quis valet obiecisse, [b] Prolepsis
Diluit: *Hic aliquis mihi dicat: Cur ego amicum*
Offendam in nugis? Hæ nugæ seria ducent
In mala, derisum semel exceptúmque sinistrè.

[c] Causæ fiduciam præ se ferens, consilio acquiescit suo.

Planè aut dissimulans permittit [c] Epitrope factum:
Cedo equidem: neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis, pete regna per vndas.

Ad Exaggerationem & Amplificationem.

[d] Suprà in Confirmatione vide Amplificationem.

Ad summum ex imo gradibus venit [d] Incrementum:
Non plebs prava iubens; solidâ nec mente, tyranni
Vis fera dimoueat iustum; non turbidus Auster;
Fulminei non dextra Iouis; non, si ruat, orbis.

Ad affectuum concitationem.

[e] Vim vitámque orationi addit premítque aduersarium. & cuius in Enthymemate atque Inductione vsus frequens.

Quærit [e] Eroteſis, poterat quod dicere rectè:
Et procul, o miseri, quæ tanta insania, ciues?
Creditis auectos hostes? aut vlla putatis
Dona carere dolis Danaûm? sic notus Vlysses?

[f] Post res magnas grauiter expositas ciet Affectus.

Concitat [f] Ecphonesis & [f] Exclamatio mentem:
Heu pietas! O spes falsas! proh vana voluptas!

Narratæ

Narratæ ſubit & rei [g] Epiphonema probatæ:
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Eſt [h] Epanorthoſis poſiti correctio ſenſus:
O clementia, ſeu potiùs patientia mira.

[i] Apoſiopeſis ſenſa imperfecta relinquit:
Quos ego —— ſed motos præſtat componere fluctus.

Conſulit addubitans quid agat dicátue [k] Aporia.
Quid faciam? roger, anne rogem? quid deinde rogabo?

Conſultat cum alijs [l] Anacœnoſis: *Si ita haberet*
Se tua res; quid conſilij aut rationis inires?

Perſonam inducit [m] Proſopopœia loquentem:
Hoſne mihi fructus, hunc fertilitatis honorem
Officijque refers? quòd adunci vulnera aratri
Raſtrorumque fero, totoque exerceor anno.

Sermonem à præſenti auertit [n] Apoſtrophe: *Et auro*
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Ad Copiam.

Verba [o] Synonymia addit rem ſignantia eandem:
Enſes & gladij. ſuperátne & veſcitur aurâ
Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat vmbris?

Diuerſas ſpecie res multas congerit Hirmos:
Grammaticus, rhetor, geometres, pictor, aliptes,
Augur, ſchœnobates, medicus, magus; omnia nouit.

Non dico, Apophaſis. *Taceo, mitto*, eſt Paraleipſis.

Rem circumloquitur per plura Periphraſis vham:
Troiani belli ſcriptor. Chironis alumnus.

g Rei probatæ apponitur quaſi ſigillum, aut tanquã coronis imponitur operis faſtigio.
h Præuaricatur, & loco iugulat.
i Res triſtes, turpes, notas, ſuſpectas tacet, irato minantique conuenientes.
k Addubitatio; Exordijs, Confirmationibus & Amplificationibus vtilis expectationem auget; attentionem facit.
l Quaſi freta ſimplici & rectã cauſſã ſe inſinuatis vrget, tacitámq; alterius confeſſionem extorquet.
m Inuidiam à ſe amolitur in perſonam quam inducit monentem, obiurgantem, &c. huius ſpecies ſunt *Mimeſis* & *Dialogiſmus*.
n Inuocationibus inſeruit, atque excitat attentionem.
o Dignitatem, grauitatem, & acrimoniam orationi conciliat; affectúſque vehementiam arguit.

p Schemata Grammaticæ Orthographiæ.

Prosthesis apponit capiti, quod Aphæresis aufert:
Vt; *gnatus. tetuli. ruit. & non temnere diuos.*

Syncope de medio tollit quod Epenthesis infert:
Relligio. Mauors. iusso. surrexe. repostum.

Aufert Apocope finem, quem dat Paragoge:
Ingeni. Hymen. curru'. Tyrio vestirier ostro.

Literulam Antithesis mutat quod & Antistœchon:
Olli subridens. vostrum. seruom. faciundo.

Transponitque elementa Metathesis, vt; *tibi* q *Thymbre.*

Metri seu Prosodiæ.

r Ecthlipsis M. vocales aufert Synalæpha:
Tu in me ita es, hem! in te vt ego sum: ac tu me ibi ama, vt te ego amo hic iam.

s Systole ducta rapit; correpta Diastole ducit:
Recidimus. steterunt. naufragia. semisopita.

Syllaba de binis confecta Synæresis esto:
t *Æripedes. alueo. cui. tenuis. parietis. aureâ.*

Diuidit in binas partita Diæresis vnam:
Euoluisset. aheneus. euohe. materiaï.

Syntaxeos ex defectu.

Deficiens aliquod verbum supplebit Eclipsis:
Non est soluendo. dicunt. quid plura? quid istis?

Suppositis multis si verbum inseruiat vnum
Aut Adiectiuum, fit Zeugma: *hic illius arma,*
Hic currus fuit. hircus erit tibi saluus & hædi.

Personam

p Contrà fortè quàm lex καθ' αὐτὸ requirit facio, qui figuris Rhetoricis heterogeneas Grammaticales admisceam: adijcere tamen allubuit, ne desiderarentur quæ in prioribus editionibus vsui esse aduerteram.

q Quod & descendere potest à Nominatiuo *Thymbrus.* frequentior autem est apud Græcos Transpositio; vt; κραδία, ἔσπραθον, θρασύς.

r Quæ & Ectasis.

s Vel Synecphonesis.

t Ab ære tamen χαλκοπόδην dici ceruum illum, non, ab aëre propter celeritatem, ἀερίποδα, contendit Ioi. Scal. ad Ausonium l. 1. c. 16.

Personam genus & numerum conceptio triplex
Accipit indignum Syllepsis sub mage digno:
Tuque puerque eritis. Rex & Regina beati.

Post totum partes capiet generale Prolepsis:
Procedunt castris hinc Acron, inde Quirinus.
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam.

Dialyton tollit iuncturam & Asyndeton, idque
Articulus facit: *Rex, miles, plebs negat illud.*
Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.

a Trepidanti conuenit & multa per celeritatem atque animi impetum congerenti.

In excessu.

Coniunctura frequens vocum Polysyndeton esto:
Fataque fortunásque virûm morésque manúsque.

b Grauiter rem producit, faciteque vt maior, quàm sit, appareat.

Vocibus exuperat Pleonasmus, & Emphasin auget.
Auribus his audiui. oculis vidi. ore loquutus.

Syllabicum adiectum fit vocis fine Parelcon.
Quipote. numnam. etiamnum. ehodum. tu Sosia adesdum.

Membrum interiecto sermone Parenthesis auget:
Credo equidem (nec vana fides) genus esse deorum.

In Contextu.

Personam ad primam Renocatur siue secundam
Tertia: *Qui legis hæc. populus superamur ab vno.*

c Inuocatio.

Et casu substantiua apponuntur eodem:
Turba molesta proci. mons Taurus. fons Aganippe.

d Appositio.

Pro toto positæ partis, quam passio signat,
Quartum vel sextum casum Synecdoche tradit
Passiuis, neutris, adiectis, participijsque:
Dentibus alba. caput doleo. spoliata lacertos.

Antiptosis amat pro casu ponere casum:
Vrbem quam statuo vestra est. trabeate salutat.

a Siue Græcismus.

a Hellenismus erit phrasis aut constructio Græca:
Desine clamorum. fallunt. ardebat Alexin.

Compositæ in partes est Tmesis sectio vocis:
Quæ mihi cunque placent. septem subiecta trioni.

Hendiadys vnum in duo soluit, mobile fixum
Dans: *auro & pateris. chalybem frænósque momordit.*

b Heterosis etiam dicitur, & Allœocheta.

Personam numerum commutat b Enallage tempus,
Cúmq; modo genus; vt: *Pereo quod carius est mi.*
Ni faciat. vici. præsto est. hinc spargere voces.

Synthesis est sensu tantùm, non congrua voce:
Turba ruunt. aperite aliquis. pars maxima cæsi.

Digna præire solet postponere Anastrophe verba:
Transtra per. Italiam contra. maria omnia circum.

Est vocum inter se turbatus Hyperbaton ordo:
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes,
Littore Trinacrio, dederátque abeuntibus, heros
Diuidit.

Casu transposito submutat Hypallage verba:
Impia trabs. videt hos ortus. date classibus Austros.

Hysteron & Proteron siue Hysterologia secundo
Prima loco ponit: c *Lauinaque littora venit.*
d *Detrudunt naues scopulo.* c *nutrit peperítque.*

e Prolepsin hanc & Proanaphonesin appellat A. Gellius. l. 10. c. 6.

d Præpositionis in compositione regimen nuncupant hoc Grammaticorum filij. e Hoc merum Hysteron Proteron esse volunt.

¶ Aptè.

¶ Aptè. vt, pro varietate materiæ subiectæ aut motus animi, varietur dicendi genus, formeturq; orationis *character.*

CAput artis est, decere quod facias. Sic igitur eloquentiam prudentiamque miscebit orator, sic decoro scenæque inseruiet; ne quando velit infanti cothurnos Herculis induere, in re sobriâ bacchari, in tenui turgescere atque intonare, vt neque è contra in argumento sublimi humi serpere, atque humi affigere, vt ait ille, diuinæ particulam auræ. Mutantur subinde circumstantiæ: ad earum momenta conuertatur & Eloquentiæ facies, dispiciat orator non minùs quid deceat, quàm quid expediat. Vt verò deceat; auditori persona, tempori, causæ, quandoque varijs causæ partibus, ornamenta propria, figuram & habitum accommodabit. ita demum natiuo succo, suoque colore nitebit oratio. Sciat in docendo requiri acumen, in conciliando lenitatem, in mouendo grauitatem, eum denique omne eloquentiæ tulisse punctum, qui humilia subtiliter, grandia elatè, mediocria temperatè potest dicere. Pro re itaque natâ & materiâ subiectâ vertet stylum, vt vnum formet ex ijs quæ dicendi genera, Characteras, Ideas nuncupant, numerantque tres: *Humilem, Mediam, Sublimem.* Quæ omnes à se inuicem discernuntur, cùm Verbis & Sententijs, tum luminibus eorum & ornamentis; nec Periodis minùs, Compositione & Numero.

Humilis itaque Idea, erit elegans, pressa, verecunda, leniter fluens, simplex munditijs: non tamen inculta, non eneruis aut arida.

Media, insurgat aliquanto altior, translationibus crebrior, sed modestis; figuris florida, egressionibus amœna, sententijs fluens, leniùs tamen, ad modum lucidi amnis crepante pede per calculos defluentis, pictas vtrinque floribus & inumbratas syluis ripas lambentis.

Arist. 3. l. Rh. 7. c. τὸ πρέπον. Demetr. Phaler. περὶ ἑρμηνείας. Εἰσὶ γὰρ τέτταρες οἱ ἀπλοῖ χαρακτῆρες, &c. Aristides περὶ πολιτικῆς λόγου καὶ περὶ ἀφελοῦς λόγου. Cic. Or. perfectus. Fabius 11. l. c. 1. & 12. l. c. 10. Herm. περὶ ἰδέων, ad quem Sturmius, quem & vid. l. 1. c. 4. de ratione Eloc. Rhet. & l. 3. c. 6. vt & l. 2. de Imitatione cap. 4. Soarez l. 3 c. 51. Strebæus l. 2. c. 17, &c. Iu. Cæs. Scal. 4. l. poet. 1. c. Kecker. l. 1. Spec. Rhet. 26. c. Alst. Orat. 5. l. c. 6. & 11. Caulerius l. 5. Dresserus l. 3. p. 909. Hiperius c. 13. p. 430. D. Thorn. Tul. Str. 1. Sect. 1. Caussin 2. l. c. 27. & 40. Vossius 5. l. 4. c. Vallad. l. 5. d. 2. q. 20. De Asiano, Laconico, Attico, Rhodio, antiquo genere, Streb. l. 2. c. 22. Keck. 1. l. spec. Rh. c. 28. N. Caussinus 2. l.

a Ἀκρότης καὶ ἐξοχή τις λόγων ἐστὶ τὰ ὕψη, &c. Longinus πέντε τόποι τοῦ ὕψους. Idem.

a *Sublimis*, verborum audaci pondere, atroci figurarum dignitate, graui sententiarum maiestate, periodorum respiratione crebrâ & numero vehementi fulminet. neque in sensus irrepat, sed irruat: instar rapidi torrentis hybernis niuibus aut montano flumine aucti sternat agros; saxa deuoluat; viam, vbi non inuenit, faciat; secum auditorem vel contra nitentem ferat, cogátque ire quò rapit.

b Cic.3.de Orat. Aut.ad Heren.3.l. Fab.11.l.3.c. Mart. Capella 5.l. Fortunatianus 3.l. Soarez 3.l. 56,57, & 58.c. Dress.3.l. p.931.Melch.Iun. meth.El.c.21.Hip. c.16. Keck.Syst. Rh.l.3.c.2,3,4.

b PRONVNCIATIO.

Vox.

Gestus.

Alst.Or.4.l.17.c. Causs.l.9. c.1,7,8. Vossius 5.l.c.8,9. Vallad.l.6.disp.1.

Hæc tandem est illa virtus, cui Oratorum Græcorum facilè princeps primas, secundas, tertias dedit. Idque iure optimo. Est enim Pronunciatio, sermo & Eloquentia corporis. imò ipsa totius Eloquentiæ anima & vita. Quid enim? Annon languent Affectus, intermortua iacet Delectatio, omnis Fidei perit fides, nisi viuæ Vocis face animentur, nisi significis Gestus facie figurentur? Illa quippe ad animum per oculos, hic per aures penetrans intellectum expugnat, affectus in vincula abducit. Illi itaque tanto futuro Bono, etiam à balbutiente infantiâ, summa adhibeatur cura, parcaturque in lubrico à pueritiâ in adolescentiam transitu; vt vox formetur firmeturque clara, facilis, distincta, flexibilis, quæ prout erit docendi, asseuerandi, monendi vsus; prout suggerent ira, vis, voluptas; dictabunt metus, miseratio, modestia, aliúsue quispiam affectus; variè & per gradus intendere se ac remittere, sonóque inflexo reddere lene, asperum, vehemens, tenerum, graue, acutum valeat. Atque huic suffragentur, Vultus, animi speculum; Oculi in irâ & odio concitandis, non minùs quàm in gratiâ & amore conciliandis duces; qui indignationem flammâ scintillantes, qui lætitiam iuxtà ac dolorem lacrymis manantes testentur; Manus multiplicis habitus artifices; vtcunq; mutæ, faciles tamen animi indices, & per omnes gentes atque nationes linguis diuersas, communis sermonis interpretes. Tantò autem acriores in animis audientium exardescent faces, quantò vehementiori vocis gestusque intentione affectuum flammas suoipsius conceptas & quasi accensas

Vultus.

Oculi.

Manus.

sas pectore significarit expresseritque orator. — *Si vis me flere, dolendum est Primùm ipsi tibi: tunc tua me infortunia ledent.*

Exercitatio.

EXposita sunt Naturæ primordia & Artis adminicula. supersunt Exercitationis subsidia; sine quibus corruunt illa & iacent. Agricolæ peritissimi solum vel optimum squallet situ, sentibus dumisque horret; nisi colatur, nisi exerceatur. Subacto, inquit ille, mihi ingenio opus est, vt agro non semel arato, sed nouato atque iterato; quò meliores fœtus possit & grandiores edere. Subactio autem est Vsus, Auditio, Lectio, Literæ. Quibus enim donis cumulati, quibus exculti artibus, ipsam Eloquentiæ arcem conscenderunt veteres illi Oratores? An vtique credimus eorum nascentium labris insedisse flexanimam Suadam, cuius quasi Gratijs afflati euaderent aliquando in Deos mortales suóque arbitrio moderarentur animorum habenas? An vtique opinamur eos è pigris enchiridion, formularum, obseruationum riuulis hausisse, quod suspensâ aure biberent audientes? An putamus eos ex insulsis Rhetorum placitis, insubidis scitis, inertibus officinis prompsisse arma, quibus humanas mentes percellerent; artes, quæ altiùs infixos aculeos post se relinquerent? Errat, longè errat, quisquis virtutem diam in putidis latére puteis, Eloquentiam angustis clausam fistulis tam malè habitare arbitratur. Ditioris venæ est putum hoc aurum, ab altiore fonte pura hæc aqua. Semina quidem in commune sparsit natura, fouet ea gremio ars præparárque: verùm fructus omnis, perfectio, consummatio est à lectione, studio, curâ. Ex tripode penitissimæ sapientiæ est illud [d] Apollonij: Ἀνάγνωσις τροφὴ λέξεως ἔστι. Lectione velut lætiore pabulo alitur atque enitescit facundia. quippe hinc multijuga exundat eruditio, rerum omnium exuberat scientia, vnde parantur amplissimæ dicendi opes. Lectionis verò cùm duplex sit vsus: vnus in orationis corpore formando, alter in animâ eius & mente firmandâ; ibi verba & compositio requirantur

Cic. 1. de Orat. Soarez. l. 1. c. 10. Keck. Rh. sp. 2. l. c. 2. Sopatri Rhetoris Græci διαίρεσις ζητημάτων, de componendis declamationibus, causis positis & controuersijs vtriuq; delineatis liber vtilissimus.

[d] Apollonij Rhodij citat Theon. progymnasmat. 1. c. Senec. 85. epist.

ad ſtyli imitationem, hîc ſenſus & diſpoſitio ad rerum cognitionem; vtrunque autem proſpiciat, vt, qui minùs ingenio valent, aliorum ſubſidio ſibi facultates comparent: maximè erit è re præſenti, quantum fieri poteſt, vtrique conſulere. Quamprimùm igitur puer è Grammaticis exceſſerit, & emendatæ iam ſanæque ſtructuræ ſtipendiis emeritus certo pede figit terram, exerceatur probè vertendo è vernaculo in Latina; necnon transferendo è linguâ Latinâ in vulgarem, atque eadem viciſſim, interiecto modico tempore, Latinè reddendo. Atq; hîc ſolicitè & accuratè verſabitur in [e] verborum electione atque phraſeos accommodatione. Deinde tingatur mihi leuiter [f] Compoſitionis præceptis, mox etiam [g] Variationis. ita demum inſtructo expeditior ad Imitationem ſternetur via. ad [h] Imitationem, ſtatuam illam Mercurialem, quæ quaſi digito viam rectam & compendiariam ad Eloquentiæ arcem commonſtrat. Quicquid enim manu ſuſcipitur dextrè, quicquid mente concipitur feliciter; omne illud exemplari huic virtuti accepta referat initia & incrementa: penè dixeram, exitus & perfectionem. Quid enim aliud ſunt opera ſummorum artificum? quid aliud Ideæ mente conceptæ? quàm exempla quædam prototypa, originales quidam moduli; quæ imitetur ſolertia, quos ars exprimat. Imò quid aliud ſunt Artes ipſæ, quàm Naturæ ſummæ illius opificis pediſſequæ & diſcipulæ? cuius veſtigia quò preſſiùs ſequuntur, eò propiùs à perfectione abſunt. Quoniam igitur in huius efficaciſsimæ virtutis cardine vertitur Eloquentiæ ianua; prono ſtudio, affectu, conſilio feratur Oratoriæ candidatus, vt alicuius in dicendo ſit ſimilis, quem totâ mente atque omni animo defixus intueatur, vt quæ domi non naſcuntur, aliunde petantur commoda. Ille autem ſit Vnus, quo æquabilior componatur ſtylus; atque idem in ſuo genere Optimus & perfectiſsimus. in quo & optima quæque ſibi proponat imitanda: namque minùs errabit qui rectè collimabit ad ſcopum. Iam verò, quem Ciceroni præferendum aut parem inuenias? conclamatiſsimo omnium conſenſu, Latinæ linguæ parenti, genio, Semoni, Deo. cuius ingenium ſuo par Imperio nacti ſunt Romani rerum Domini. Qui vel hoc nomine

e Vide Longinum περὶ ὕψους. c. περὶ ὀνομάτων ἐκλογῆς. & I.L. Strebæum de electione & oratoriâ collocatione verborum. & Phraſes Schori.

f Supra.

Imitatio

g Ex præceptis Eraſmi l. de copia Verborum & Rerum.

h Keck.2.l.Rh.c. 23. Rod. Agricola 3.l. de Inuent.c.5. Cic.de Or.2.l.& in Bruto l. 1. ad Her Fab.10.l.2.c. πῶς κοιτὰ διανοήματα ἰδιάσαμεν. Hermogen. περὶ μεθόδου δεινότητος. L. Viues 4.l. de cauſſ. corru. art.& 4.l. de tradendis diſciplinis. vbi adijcit exempla. Sturm.tribus ll. & in Nobilitate literata. p. 332. Paſchalius de opt.genere Elocutionis. Treutler.meth.El. c.14. Dreſſ.l.3. Keck.2.l.ſp.Rh.2. c. Alſt.Or.2.l. Cauſſ.l.3.c.9.& 15 Valiad.2.l.10.qu.

mine se imitatione dignum præstitit, quòd & ipse, cùm se totum (elogium est [i] Fabij, maximi in hac arte magistri) ad imitationem Græcorum contulisset, videtur effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec verò quod in quóque optimum fuit, studio consecutus est tantùm, sed plurimas vel potiùs omnes ex seipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissimâ vbertate. Non enim pluuias (vt ait Pindarus) aquas colligit, sed viuo gurgite exundat, dono quodam prouidentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Sciat ergo se multũ profeciſſe cui placebit Cicero. Ex illius itaque felici facilitate proponat alumno suo Rhetor, propinétque periodum vnam aut alteram primò, quæ facilè admittat imitationem, possitque intelligi, characteris humilis aut mediocris. Subministret illi argumentum aliquod materiæ sequacis & quæ eandem cum exemplo proposito formam vndequaque possit induere. Ostendat deinde Imitandi artem & rationes; vt vel eidem corpori aliam vestem induat, vel eidem vesti aliud quærat corpus. hoc est, vt manentem [k] sententiam aliâ inuestiat oratione; aut sententiæ suæ ac nouæ habitum illum orationis modicè immutatum conformet atque adaptet. Doceat, quæ ab alio breuiter dicta fuerunt, fusiùs prosequi & Dilatare; quæ fusè ab alijs explicata sunt, Contrahere; Addere ex proprio; Subtrahere ornamenta, & res vel nudè Exponere, vel ornatè Variare; ex Græcâ aliâue lingua sumptum suâ Latinitate donare; Orationem numeris strictam asserere in libertatem solutique iuris facere; locutionis figuram, membra, ordinem, exornationem Mutare atque Inuertere; ita par & simile adferre, vt sit tamen diuersum, & aliud quidpiam esse videatur: vt ars appareat, lateat artificium. Deducat ita instructum in Imitationis arenam, componat cum Exemplo, exigátque artis specimen. quod diligenter conferet cum exemplari; monebit vbi ab exemplo & arte recessum; ipse emendabit, supplebit quæ deerant, circuncídet si quid redundet. Hinc progrediantur licebit ad longiora, difficiliora, altiora: ad periodos artificiosè concinnatas, ad narrationes, confirmationes, argumentationum ac amplificationum formulas, ad paradoxa eius, & orationes

[i] 10. l. Instit. 1. c. contra & pro Cic. vide Canssin l. 2. L. Viu. 4. l. de caus. cor. art. Erasmi Ciceronianum & Rami Ciceronianum. Alst. Or. præcognita. Nigronij Or. quatuor de laudibus & imitatione Ciceronis. Alios.

[k] Sententiam veteres quod animo sensissent vocauerunt. Sed consuetudo iam tenuit, vt mente concepta sensus vocaremus, &c. Quintil. l. 8. c. 5.

orationes denique integras; eásque tractandas vel æmulatione parili, vel contrarijs causarum partibus susceptis. Monebit interea compilatoris esse, non imitatoris, ex alienis centonibus consarcinatis sibi trabeam aut virgatum sagulum consuere: serui pecoris esse, vnam aliquam prętextam purpuream repræsentare, non posse corpus vniuersum effingere. proinde, neque curet verbum verbo reddere tanquam fidus interpres aut religiosus explicator, neque in venustatis ornatûsque cuticulâ curandâ sit sollicitus: sed & rei naturam laboret penitus scire, characterem aduertat, circumstantias obseruet, atque illius, quem sibi imitandum susceperit, consilium, acumen, animi indolem, variæ eruditionis carnes, ossa & medullam, argumentorum lacertos & tractationem validam exprimat potiùs quàm verba & stylum. Et cùm pigri sit ingenij, maléque de se iudicantis acquiescere inuentis, [1] impressis vsque vestigijs insistere, & dum in re tenui sollicitam curam adhibet, fateri se rebus magnis imparem; hortetur eum iam æmulari, iam se cum duce suo conferre, si quid supra fieri possit, aggredi, præscripta transcendere, nare sine cortice, in altum vehi, séque iam suis ventis permittere. Ad quem palum iam probè exercitatus tyro noster, vbi visus est firmasse pedem habitu certo & æquabili Ciceronianæ orationis filo, deducatur per progymnasmata, Chreias, Locos communes, Ethologias, [m] &c. in lætiorem campum orationum Demonstratiuarum, latiorem Suasoriarum. Neque enim huius ætatis, neque sanè nostri fori sunt Iudiciales, quarum scientiâ & arte iam non indigemus, vltra quàm requirit eorum quæ scripta sunt Analysis & artificij obseruatio; postquam, sublatâ dicendi scenâ, desciuit ab orationum splendore forensis illa pompa, formularum quarundam angustijs terminata. Vt ergo ab ipsis Eloquentiæ cunabulis legitimè studeat & per omnes numeros progrediatur candidatus noster, petenda illi cognitionis rerum facultas atque opes ex ipsis sapientiæ penetralibus, 1. Auditione attentâ, multâ 2. Lectione, pressâ 3. Commentatione, 4. Præceptis artis, diligenti 5. Stylo, 6. Dicendi denique vsu. Vtilis apprimè est Auditio; tum quia auris est scientiæ organum, & quæ ab alijs multo diutinoque

[1] Anniceris apud Ælianum Var. hist. l. 2. c. 27.

[m] De primis apud Rhetorem exercitationibus, Fabius l. 1. c. 15. & l. 2. c. 1. & 4. Priscianus ex Hermogene p. 322 Theon. Aphthon. Emporius de Ethopoeia ac loco communi. L. Viu. 4. l. Alst. Orat. l. 2. sect. 4.

1. *Auditio.*

diutinoque ſtudio fuerunt inuenta, nobis transfundit horula vna: tum quia dicentis viuâ voce ac ſpiritu mouemur magis, excipimúſque noua illa velut naſcentia cum fauore & ſolicitudine; trahimúſque inſuper in exemplum ſi quid in pronunciatione eò quod decuit placeat. Auditione tamen vt vberior, ita certior & liberior eſt Lectio. audita enim volucri quadam delectatione abeunt irreuocabilia: lecta repetere licet, ſiue artem, prudentiam & conſilium, quæ celauit diſertus artifex, propiùs aduertere; ſiue res ipſas memoriæ penitus affigere velimus. Hoc orationis adeoque eruditionis atq; ſcientiæ pabulum voremus, &, vt ita dicam, helluemur. Quocirca teneram hanc & muſteam ætatem, vt neque depulſam in totum lacteâ illâ Ciceronis vbertate, ita neque vno vtut pulcherrimo prato coërcitam velim. at creſcentem, per floreos autorum agros liberiùs vagari; adultam, aperto gaudere cœlo. Vorandæ planè ſunt [n] orationes non Ciceronis modò, ſed quæ habentur apud Cæſarem, Liuium, Saluſtium, Curtium, Tacitum. Concoquendæ hiſtoriæ eorundem, necnon Suetonij, Flori, Velleii, & quorum eſt hiſtoria quæ dicitur Auguſta, naturalis hiſtoria Plinii ſuperioris, iunioris epiſtolæ, Valerii collectanea. Hiſtoria quippe oratorem alit, narrandi facultatem ſuppeditat, inſtruit exemplis, quæ quaſi præiudicata ſunt & experimenta quæ de futuris concludant. Depaſcendæ Fabii inſtitutiones, & quæ illi adſcribuntur declamationes, panegyricæ Plinii & aliorum, Pacati inprimis. Comœdiæ Plauti & Terentii. Libandi adultioribus, Agellius, Capella, Apuleius cæterique Africi. nuperi denique Petrarcha, Politianus, Lipſius, Strada, &, quo nunc calet non tantùm iuuentus omnis, Barclaius. Ante omnia, humanioris eruditionis ſtudioſos immorari decet atque innutriri ſummis illis ingeniis & Moralis ſcientiæ oraculis, Platoni, Senecæ, Plutarcho. Quàm ſalutaris autem vel neceſſarius potiùs ſit futuro oratori poëtarum hauſtus, Oratorum princeps, Oratoriæque primores conſentiunt. Legendi, [o] inquiunt, ſunt Poetæ, quorum lectio plurimum confert oratori. namque ab his & in rebus ſpiritus, & in verbis ſublimitas, & in affectibus motus omnis, & in perſonis decor petitur. Quippe diuino

2. *Lectio.*

[n] Inprimis orationes pro Archia poeta, pro Milone, M. Marcello, Ligario, Roſcio Amerino, Deiotaro, Murenâ, Sylla, Cœlio; In Catilinam 1. 2. & 3ª. In Verrem 6. & 7. Vide & Keck. l. 2. ſpec. Rh. c. 1. & Vallad. 2. l. 11. quæſt.

[o] Cic. 1. Orat. Quint. 10. l. 1. c.

uino quodam numinis afflatu concitati, immortale quiddam ac cœleste spirant, sententiarum concinnitate mirabiles, lumine verborum conspicui, numerorum modulatione suauissimi. Meminerimus tamen non per omnia poëtas esse oratori sequendos, nec libertate verborum, nec licentiâ sententiarum: neque P totos versus aut hemistichia solutæ orationi infarcienda. Verùm ne memoria tot tantarumque rerum multifariâ & confusâ lectione obruatur: ne quid ex iis quæ legimus, audiuimus, cogitando ipsi inuenimus, desideretur: vtile inprimis erit, quæ illustria sunt & notanda videntur, librorum custodiis concredere, tanquam cellæ penuariæ & succenturiato memoriæ subsidio. Quorum altero notentur verba rara, noua aut nouo sensu vsurpata; phrases insigniores suis quæque distinctæ titulis; formulæ elegantiores, ad contextum; ordiendi, narrandi, conciliandi, proponendi, autores & exempla citandi, confutandi, continuandi, transeundi, abrumpendi, claudendi; ad Materiam; rogandi, officium agnoscendi, gratias agendi, laudandi, vituperandi, opem offerendi & pollicendi, asseuerandi & obtestandi, corrigendi, monendi, hortandi, suadendi & consulendi, dehortandi & dissuadendi, exclamandi, querendi & admirandi, excusandi, deliberandi, illudendi, minandi, metuendi & obstupescendi, bene & male precandi, consolandi. Altero adnotabuntur Ornamenta & Argumenta, Similitudines, & Translationes, quæ sunt in vnam vocem contractæ similitudines, allegoriæ, imagines, exempla, acutiora dicta, sententiæ, allusiones aut quæ alludi vel inuerti possunt; eaque digesta omnia & per ordinem alphabeticum suis titulis atque capitibus tanquam fauis cellisque subiecta. Quoniam verò, vt ait q ille, nemo percipere tot reconditas aut tam varias res potest, nisi vt scientiæ meditatio, meditationi facultas, facultati vis eloquentiæ accedat: per quæ colligitur eandem esse rationem & percipiendi quæ proferas, & proferendi quæ perceperis: ne condi magis alienorum effatorum quàm nostrorum conceptuum promi simus; intingendus tandem in nostram animi mentem erit calamus, senatus conuocandus in corde consiliarius; stylusque inde acuendus. Tot tamque variarum vndecunque

P περὶ χρήσεως ἐπῶν ἐν πεζῷ λόγῳ. Hermogenes. περὶ μεθόδου δεινότητος.

q Messalla in dialogo quem alij Tacito, alij Quintiliano adiudicāt.

3. *Meditatio & Commentatio.*

que congestarum opum, quo propriæ fiant nostríque iuris, immutanda est qualitas & proprietas, vt vulgo loquuntur. Ne patiamur itaque illa quæ hausimus manere integra & quasi solida innatare stomacho, quem ægrum atque infirmum arguunt quoties eâdem specie redduntur cibi qua sumpti sunt: sed ea naturæ beneficio concoquamus in chylum, vt hinc in sanguinem & alimentum transeant. Non tam memori vomitu cruda regeramus, quàm ingenij fermento tot granorum miscellanea in panem conuertamus. Tot roris gemmas, tot florum succos ita spiritus nostri proprietate mutemus, vt diuersa libamina & sapores in vnum mel coalescant. Ita in vnum conspirent voces variæ & instrumenta diuersa vt singulorum lateant voces, omnium appareant; vt ex tot dissonis fiat chorus vnus, concentus vnus. Quod fiet, si mentis dexteritate, elicio studij atque animi conflictu, & quasi obstetriciâ meditationis operâ, res variè mistas ita temperemus atque in vnum corpus redigamus: vt etiamsi appareat vnde sumptum sit, aliud tamen quàm vnde sumptum sit, apparear. Lecta hæc semina nouali subacto credita prement aliquando terram segete, rumpent messe horrea; si accedat æquè diserta periti cultoris solertia. Præceptor igitur & ipse minimè rudis & maximè exercitatus ex hoc nostro aut alio Rhetorices compendio artis præcepta enarrabit; locos inuentionis, definitiones eorum, Maximas, tractationes, adiectis exemplis illustrabit. Non tamen omnia accuratè & ad tenue: vel ob hoc, quod magistrum ferè artis reperias neminem, teste Cicerone, qui ipse eloquens fuerit: nudæ enim illæ artes nimiâ plerunque subtilitatis affectatione frangunt atque concídunt quicquid est in oratione ipsóque spiritu generosius, omnem succum ebibunt & ossa detegunt. Nouissimè docebit proprios Affectuum motus & concitationes. Et iam tandem proponet rhetorculo suo argumenta, è fabulis poëticis, tragicis vt plurimùm, historicis, Ethicis, declamanda, atque ea quandoque in partes contrarias; verùm hæc veritati quammaximè consona, & quorum sit vsus aliquis in vitâ deincipe futurus. licebitque aliquando experiendi exercendique ingenij gratiâ proponere paradoxa & absurda. Præformabit illi primùm decla-

4. Præcepta artis.

declamandi materiam & ſupellectilem, delineabit veſtigia, digitum ad fontes lectionis intendet, commonſtrabit argumenta, ſuppeditabit colores. mox eum ſibi permittet, ſuis vt viribus abſque adminiculo poſſit progredi. Progreſſus autem faciet non ſine ſummâ ſpe ad laudes ampliſſimas, ſi ſe totum & ritè tradiderit Stylo, optimo & præſtantiſſimo dicendi magiſtro, autori, effectori. Hic enim vires ingenij experitur, mentem exacuit, memoriam excitat, iudicium format, artis præcepta illuſtrat, lectionis fructum exigit; ſtudij practica, cogitationum Hermes, mandatorum nuncius, ſcientiarum monimentum. quem cùm multi per ignauiam fugiunt quia magni eſt laboris, tum plurimi per inſcitiam auerſantur, eo quòd rationem eius neſciant profani, & illotis, pedibus, aut manibus potiùs, tantæ artis penetralia aggreſsi. His autem myſterijs initiatus *hoc agat*, rem curæ tam ſeriæ, conſilij tam ſacri etiam atque etiam rectâ reputet viâ. Priùs igitur quàm calamum in manum ſumat, operam det penitus intelligere quæſtionis & rei de qua dicendum ſit, naturam, genus, ſtatum. Deinde ſibi aurem peruellet exigétque à memoriâ ſuâ, ſi quid vſpiam audiuerit ſuper ea re legerítue. centuriata habebit autorum capita, ſententiaſq; eorũ quaſi per ſaturam anquiret; ſuę meditationis aduocabit obſtetriciam manum, ſolertis ingenij aciem intendet, omnia diligenter verſabit. quæſtionem ſi finita ſit, ad infinitam auocabit, circumſtantias perpendet. hinc latibula argumentorum luſtrabit, eruet quæcunque ad conciliationem, fidem, motum faciant. Delectum habebit copiarum. leuia quæ ſunt & futilia, reijciet planè, exautorabit, caſſabitque, vt iſti loquuntur: quæ virtute valent & pondere, diſtinguet etiam; vt velites expediantur, in acie ſtent Haſtati, Principes collocentur medij, ſubſideant in poſtremis Triarij. Quas omnes argumentorum, exemplorum, ſimilitudinũ, ſententiarum copias vbi explicuerit in vna tabellæ facie, vt ibi in procinctu & ſtatione appareant, euocandæ. prout fuerit opus: cogitandum erit non tantùm quo ordine, ſed & quo apparatu, quàm valido, quàm ſplendido inſtructæ procedant: vt oratio verborum ſtellis, ſideribus phraſium, ſententiarum luminibus diſtincta, niteat Elegantiâ,

5. *Stylus.*

Compo-

Compoſitione fluat, Ornatu ſplendeat. Et tum deniq; ab indagationis induſtriâ,& ſolertiâ commentationis ſe ad ſcribendum conferet. Ad commodiorem autem meditandi curam ſcribendique laborem conducet plurimùm, ſi in quietum aliquem locum, ſecretum atque arbitris liberum ſe recipiat,eundemque obſcurum. ſeceſſu quippe,ſilentio, tenebriſque alitur mens; ſibi vacua, altiúſque operi intenta, quoties extrinſecis auocamentis diſtracta non impeditur. Hîc tandem ſtringat calamum, acuat ſtylum; in exercitationis huius incunabulis, tardum; in progreſſu temporis & facultatis, velociorem; ſemper diligentem. At ne quando à propoſito extra oleas, quod aiunt vagetur; ſuſpiciendum erit ſubinde thema; ne maceriæ extruantur & arena ſine calce, repetenda ſæpius erunt proximè ſcripta; tum ad ſtyli commiſſuram, quo meliùs connectantur præcedentibus ſequentia; tum ad cogitationis calorem, qui, ſi ſcribendi intercapedine refrixerit, ex integro recipiet vires, &, quod in certamine ſaltus fieri ſolet,velut repetito ſpatio ſumet impetum. Sequitur vt examinet præceptor & emendet, quæ ille ſcripſerit, improba & ociosa expungat, proba & grauia ponat, in locum fortuitorum ſufficiat lecta, pro inſuauibus dulcia, pro confuſis compoſita ſuggerat, antiquitatis horrorem excolat,floridæ nouitatis ambitionem coërceat. Aliquantulum veniæ tamen indulgebit vbertati & elegantiæ. quinimo alet potiùs indolem lætam, generoſos conatus & vel plura iuſto concipientem ſpiritum fouebit, & ſatiari veluti quodam iucundioris diſciplinæ cibo lacteque patietur. Volo, inquit Orator, ſe efferat in adoleſcente fœcunditas. Nam faciliùs ſicut in vitibus reuocantur ea quæ ſeſe nimiùm profuderunt, quàm ſi, nihil valente materiâ,noua ſarmenta culturâ excitentur: ita volo eſſe in adoleſcente vnde aliquid amputẽ. Luxuriem quippe depaſcet increſcens cum ætate ſtylus,multum inde annidecoquent, multũ ratio limabit,aliquid ipſo vſu deteretur. Non autem poteſt in eo eſſe ſuccus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutum. Nec placet muſtum quod in lacu ſtatim eſt auſterum. id fiat annis: ſic & annos feret, & cum ætate proficiet. Denique ne pereat gratia Muſicæ occultæ,ne virtuti cela-

Cic.1.de Oratore

tæ

tæ inuratur nota ſepultæ inertiæ; ſupereſt, vt materiæ ita formatæ habitus producatur in actum: vt arte ſtudióque decurata & domi elaborata oratio in ſolem & puluerem prodeat, in caſtra & aciem procedat. cui rei à Memoriâ maximum eſt ſubſidium. Quam vt fixam, firmam, fidámque habeas, deuorandum eſt tædium illud ſcripta aliena & tua ad verbum ediſcendi. quæ penitus cognita atque intellecta, ritè atque ex artis methodo diſpoſita diligenter leges, aduertéſque res primò, deinde verba: eáque per interualla & certas partes diuiſa, ediſces ex ijſdem tabellis quibus ſcripſeris. tenaciùs quippe Memoria (quæ non eſt quid ab Intellectu, niſi ratione diſtinctum) apprehendit eorum veſtigia, quæ ſibi familiaria non incurioſi tradiderunt oculi. Quæ itaque imprimenda animo curaueris apud te tacitè ſub ſomni tempus, quò plus firmitatis adferat noctis interpoſitæ quies & ſilentium; repoſces exigéſque à memoriâ poſtero manè, defœcato à cibi decoctione & curarum æſtu, animo. Deinceps probè meditata & comprehenſa in ſolitario aliquo loco recitabis, Voce clarâ, diſtinctâ, non ſtridulâ aut intentâ (in Exordio minimè) non vnius toni, ſed modulatâ pro variâ materiæ, argumentorum, ſententiarum, affectuum ratione. cui Vultus conſentiat, ſubſeruiátque Geſtus, rebus quæ aguntur congruus; non vaſtus neque hiſtrionicus tamen, ſed decorus & temperatus. Quæ omnia vt cum gratiâ, venuſtate & iudicio præſtare valeas, operæ precium, imò neceſſarium erit, vt ipſe audias alios, te alij, ijque artifices, qui exemplo feliciter præeant, conſilio fideliter moneant, quæ ſequaris, quæ fugias; atque ij certè diſertiùs quàm vel eburnea Gracchi fiſtula, vel Demoſthenis ſpeculum tibi vocem modulentur, geſtum figurent. Tum demum bonâ cum tui fiduciâ prodire in publicum licebit. Actio autem vſu repetita relegabit metum, ſolicitudinem, iram, ruſticum pudorem, cæteróſque affectus qui memoriæ ac liberiori geſtui præiudicant & officiunt.

Actio.

Artis præcepta leuidenſi quodam filo & ſoloci pertexui. quæ compendij ſtudio omiſerim, ex ijs ipſis quos indicaui fontibus facilè licebit petere. Præceptis his ſi felicis ingenij veſtri (Opt. Iuuenes) facultatem excolere,

ſere, ſi habitum & diſertam dicendi facilitatem vſu acquirere non pigebit; ibunt indolis veſtræ flores (quos Naturæ produxit tellus, Artis firmat ſol, Exercitationis educat imber) in Eloquentiæ & Prudentiæ fructus. Summus ille Naturæ parens fructus hoſce, quorum ipſe ſparſit ſemina, ita benigno foueat numine: ita radiis ſuis illuſtret animéque æternus Iuſtitiæ & Sapientiæ Sol; ita gratiæ ſuæ aurâ mulceat, imbre riget Sacroſanctus Fauonius: vt caneſcentes illi indies ad maturitatem in animis veſtris, vos ipſos ad conſummatiſſimæ Virtutis arcem euehant, ad faſtigatiſsimi Honoris apicem promoueant; in Reip. emolumentum, Diuini nominis gloriam, veſtram ſalutem æternam.

FINIS.

Ne vaciuæ supereſſent meræ iſtæ pagellæ, adijcienda curauimus concenturiata Communiũ Locorum capita; in illorum gratiam quibus cura erit ſtud únque conficiendi memorialia volumina, quorum mentio Pag. 36.

A

Abſtinentia. Abuſus. Academia. Actio. Accuſatio. Adoleſcentia. Aduerſæ res. Adulatio. Adulterium. Ædificia. Æmulatio. Æquabilitas animi. Æqualitas. Ætas. Affectus. Affinitas. Agricultura. Aliena. Ambitio. Amicitia. Amor. Amor ſui. Angeli. Anima. Animantia. Animus. Arrogantia. Ars. Artes liberales. Artes. Aſperitas. Auaritia. Audacia. Auditus. Aula. Aurum. Auſpicia. Autoritas. Auxilium.

B

Bellum. Beneficentia. Bona naturæ, fortunæ, animi. Boni. Bonitas. Bonum. Breuitas.

C

Cædes. Calumnia. Caſtitas. Cauſæ. Ceremoniæ. Cibus. Ciuis. Ciuilium rerum vſus. Clementia. Cœlibatus. Cœlum Comitas. Communio rerum. Concordia. Confeſsio. Coniugium. Coniugalis fides. Conſcientia bona. Conſcientia mala. Conſilium. Conſolatio Conſtantia. Conſuetudo. Contentus animus. Contractus. Conuerſatio. Conuiuium. Corpus. Correctio. Corruptio. Credulitas. Crudelitas. Curæ. Cura præpoſtera. Curioſitas.

D

Damnum. Decorum. Debitum. Deformitas. Degeneratio. Deliciæ. Deſperatio. Detractores. Deus. Dies. Diſcipulus.

cipulus. Disciplinæ. Discordia. Dissimulatio. Diues. Diuitiæ. Diuinatio. Doctrina. Dolor. Dolus. Dos. Dux.

E

Ebrietas. Educatio. Elementa. Eloquentia. Error. Euentus. Exemplum. Exercitatio. Exilium. Experientia.

F

Facilitas. Fama. Fames. Familia. Fatum. Fauor. Felicitas. Fides. Finis. Forma. Fortitudo. Fortuna. Forum. Fratres. Fraus. Frugalitas. Fruges. Fuga. Furor. Furtum.

G

Garrulitas. Gaudium. Gestus corporis. Gloria. Gratitudo. Gula.

H

Hæredes. Historia. Histriones. Homo. Honestas. Honor. Horti. Hospites. Humanitas. Humilitas.

I

Jactantia. Ignauia. Ignorantia. Imitatio. Imperium. Impietas. Impudentia. Indoles. Industria. Infamia. Infantia. Inferi. Infirmitas. Ingenium. Ingratitudo. Inhumanitas. Inimicitiæ. Iniuria. Iniustitia. Innocentia. Institutio. Insania. Interitus. Inuenta. Inuidia. Ipse. Ira. Irrisio. Iudicium. Iuris scientia. Ius. Iusiurandum. Iustitia.

L

Labor. Lacrymæ. Lætitia. Leges, iura, consuetudines gentiũ. Legatus. Lenitas. Liberalitas. Liberi. Libertas. Libido. Licentia. Licita. Lingua. Lis. Locus. Lucrum. Ludus. Luxus.

M

Magistratus. Magnificentia. Maiestas. Mala. Maledicentia.

centia. Mali. Malitia. Medicina. Mediocritas. Meditatio. Memoria. Mendacium. Mens. Mercatura. Meretrix. Metallæ. Meteora. Metus. Militia. Miracula. Miseria. Misericordia. Modestia. Mora. Morbi. Mores. Morum grauitas. Mores gentium varij. Mors & sepultura. Mulier. Mundus. Munera. Mutationes. Mutuum.

N

Natura. Naturales res. Nauigatio. Necessitas. Nobilitas. Nosce teipsum. Nouercæ. Nouitas. Nox. Numerus. Numina. Nuptiæ & ritus.

O

Obedientia. Obsequium. Obliuio. Occasio. Ocium. Oculus. Odium. Officium. Omina. Opinio. Opus. Oracula. Oratio. Ordo. Ornatus.

P

Parentes. Parricidium. Passio. Patientia. Patria. Paupertas. Pax. Peccatum. Peregrinatio. Perfidia. Periuria. Perseuerantia. Petitio. Pestis. Philosophia. Pietas. Pictura. Pœna. Pœnitentia. Poëta & Poësis. Politia. Potentia. Potentioribus non aduersandum. Præceptores. Præsentibus fruendum. Principes. Principium. Prodigalitas. Prodigia. Proditio. Promissa. Prosperæ res. Prouidentia. Prudentia. Principijs obsta. Pudor. Pudicitia. Pueritia. Pulchritudo.

Q

Quæstiones curiosæ. Querelæ.

R

Rapina. Ratio. Recreatio. Regnum. Religio. Reprehensio. Repugnantia. Repulsa. Respublica. Rhetores. Risus. Robur. Rus.

Sacer-

S

Sacerdotes. Sacrificium. Sacrilegium. Sapientia. Sceſus. Scientia. Scriptum. Securitas. Seditio. Sectæ. Senſus. Senectus. Seruus, & Seruitus. Seueritas. Silentium. Similitudo. Simultas. Simulatio. Simulachra. Sitis. Sobrietas. Societas humana. Societas honeſta. Societas praua. Solitudo. Solertia. Somnus. Somnia. Species recti. Spectrum. Spes. Studium. Stultitia. Subditi. Sublimis vitæ conditio. Superbia. Superſtitio. Suſpicio.

T

Taciturnitas. Tædium. Temeritas. Temperantia. Templa. Temporum res geſtæ. Tempus. Terræ regioneſq;. Teſtis. Teſtamenta. Timor. Tormenta. Tranquillitas. Tueri parta. Turpitudo. Tyrannis.

V

Valetudo. Varietas. Venatio. Venia. Veneficia. Ver. Verbum. Verecundia. Veritas. Veſtitus. Vetitum. Vicini. Viciſſitudo rerum. Victoria. Vigilantia. Vindicta. Vinum. Virtus. Virginitas. Vis. Vita. Vita priuata. Vitia. Vitiorum fuga. Vltio. Vltio diuina. Vnitas. Voluntas. Voluptas. Vota. Vrbs. Vſura. Vſus. Vtilitas. Vulgus. Vultus. Vxor.

FINIS.